DE

AESCHYLI, SOPHOCLIS, EURIPIDIS INTERPRETIBUS GRAECIS.

SCRIPSIT

(Hermann)

JULIUS RICHTER,
PH. DR. AA. LL. M.

BEROLINI, 1839.
SUMPTIBUS GUILELMI BESSER.

Index.

Caput primum.

Pag. 1—33.

Caput secundum.

Pag. 34—65.

Caput tertium.

Pag. 66—86.

Caput quartum.
Pag. 87—118.

Corrigenda.

Pag. 7 l. 16 pro nonne scrib. num.
- 11 - 33 - Ol. 77, 4 — Ol. 87, 4.
- 14 - 1 - Euripides — Euripideis.
- 30 - 2 - ἀμύνῶ — ἀμυνῶ.
- 41 - 35 - afferem — afferam.
- 60 - 11 - libraria — litteraria.
- 71 - 26 - 6196 — 619b.
- 72 - 4 - μίη — βίη.

Reliqua minoris etiam momenti sunt, nec quemquam offendent.

Berolini, typis C. G. Ende.

Caput primum.

Interpretatio Tragicorum Graecorum triplex est: prima historicas res spectat, secunda virtutem vel pulchritudinem fabularum sensu et cogitatione percipiendam (quam, quoniam vox jam civitatem nacta est apud nostrates, liceat mihi posthac aestheticam appellare), tertia denique critico-grammatica est. Historicae interpretationi fere aequalis aesthetica est; critico-grammatica omnium ultima ad fabulas Tragicorum accessit. Cui vero tempori una alterave interpretandi ratio ac doctrina prae reliquis potissimum sit annumeranda, non possumus fateor distinctius delineare: neque adeo contendere unquam possumus, hanc vel illam aetatem singulari usam esse interpretationis genere: sed satis habeamus intelligere, aliud tempus historica gaudere interpretatione, aliud aesthetica, aliud critico-grammatica. Verumtamen ne interioribus quidem caremus caussis, quas vel natura rei nobis offert. Proximis post mortuos tres tragoediae principes temporibus fabulae eorum in omnium fere ore versabantur. Attica dialectus florebat, fabulae spectabantur atque intelligebantur, quod ad ipsam linguam attinet, a populo. Quid igitur aliud viri tunc temporis docti explicare poterant in fabulis poetarum, nisi historica tractarent, i. e. annos designarent, quibus illae primum actae essent victoriamque reportassent vel cecidissent; nisi mythos a Tragicis tractatos vel καταλογάδην

redderent, vel cum antiquiorum poetarum operibus, mythis, fictionibus compararent. Sic via quadam naturali prodierunt opera didascalica, opera de mythis tragicorum et quae sunt similia. Verum apparet conscribendis simul ipsis poetarum vitis complures impendisse curam. Etiam hi maximam partem historicas res attingebant, ita tamen ut de ipsa Tragicorum virtute loqui et possent et deberent. Unde ad aestheticam interpretationem progressi sunt: quae quidem floruit, postquam ipsae fabulae agi desitae sunt. Ubi enim ipsa spectare dramata denegatum erat, pulchritudinem eorum ac praestantiam scriptis servare publicique juris studebant facere. Sed temporis injuria, negligentia hominum, interpolatorum temerario studio depravantur fabulae varioque modo permutantur. Tum ars critica accessit ad tragoedias, quae genuinam earum formam, quae Atticae dialecti florem servaret ac restitueret. Aesthetica autem interpretatio ita media jacet inter historicam et critico-grammaticam, ut cum una alterave sit arctius semper conjuncta.

Jam vero, quum aetatem interpretationis Graecae haud exiguo post mortuos tres Tragicos tempore initium cepisse sciamus, gravissima extat quaestio: utrum genuinas Tragicorum fabulas pervolvere interpretibus concessum fuerit; an potius hi vario modo interpolatas eas ac permutatas legerint? Cui quidem quaestioni ita respondebo, ut de antiquissimis interpolationibus deque variis fabularum exemplaribus quae mihi innotuerint componam. — Quae vero inde a Peripateticis primis illis fabularum Graecis interpretibus ad Demetrium usque Triclinium praeterfluit aetas, eam in tres periodos divisi; ac primam interpretationis periodum quae Lycurgi atque Aristotelis tempore incipit ad Aristophanem Byzantium, secundam ad Didymum Chalcenterum, tertiam denique ad Demetrium Triclinium extendi. Unaquaeque aetas singulari capite additis simul caussis factae a me divisionis tractabitur. —

Primo igitur capite de interpretibus Tragicorum, qui proprie sic vocantur, sermo non est: at de interpolationibus ita agam, ut inprimis cum ad quaestiones de duplicibus

fabularum recensionibus, tum ad histrionum et librariorum antiquissimorum interpolationes ac depravationes animum advertam. Sed quae ad idem tempus pertinent, quaestiones de indole et conditione monumentorum didascalicorum, secundo capite, ubi de Aristotelis opere Διδασκαλιῶν sermo est, tractabo. — Prima autem ipsius interpretationis aetas, si universam ejus indolem quaerimus, principio historica, deinde aesthetica; secunda vero primum aesthetica tum critico-grammatica floret interpretatione. Per secundam hanc aetatem interpretatio Tragicorum Graecorum summo gaudet acumine: post Didymum Chalcenterum ne reperies quidem virum, qui justi interpretis nomen mereatur gloriamve: sed quae ab illustribus Grammaticis dicta, explicata, constituta sint, eorum summa quaedam conficitur, aut ad singularem usum contrahuntur a tertiae aetatis Grammaticis et conciduntur.

Indaganti mihi quaestionem de duplicibus variisve fabularum recensionibus ad universam theatri Attici, quatenus ad ipsorum dramatum actionem pertineat, historiam videtur propterea respiciendum esse ut quodnam et quale subsidium nostrae rei inde accedat, luculentius dignoscamus. Atque ad duo potissimum momenta animum advertamus, eaque etiam in universa theatri Attici historia maximi debent haberi. —

Primum a Suida [1]) fracta subsellia esse narratur, quum fabulis in theatro certarent Aeschylus, Pratinas, Choerilus, atque ex illo tempore novum Athenis theatrum exaedificari esse coeptum. Secundo theatrum Athenarum lapideum per Lycurgum oratorem Atheniensium nobilissimum perfectum esse tradunt Pausanias [2]), Plutarchus [3]), alii, quos laudat

---

1) Sub vv. Αἰσχύλος, Πρατίνας, ἴκρια. — Aliter Blomfield. Praef. Aesch. Pers. p. 16 sq. 2) Lib. I, 29.

3) Vitt. X. oratt. Tom. XII. p. 251 et p. 278 ed. Hutten.

Schneiderus [4]). Quapropter Viri docti censent, Athenienses inde a certamine illo Aeschylum inter et Pratinam Choerilumque ad Lycurgum usque oratorem continuo in exstruendo laborasse perficiendoque theatro; dum in ipso imperfecto dramata agerentur poetarum clarissimorum, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, ut alios mittam [5]). Tempore igitur illo, quo ars dramatica mirifice florebat, quo eximie delectabat Athenienses, nihilominus apto theatro et scena perfecta eos carere oportebat; contra splendidum a Lycurgo exaedificatum theatrum est posteaquam aurea poetarum aetas evanuit, licet studium docendarum fabularum visendarumque etiam latius fuerit inter Graeciae civitates [6]) propagatum. Si vera est narratio de fractis subselliis, et probata nostratibus est, primum ipsa subsellia lapidibus exstructa esse per se elucet. Scena serius ac paullatim confecta est; scena, quae proprie sic dicitur, usque ad Lycurgi tempora mutabilis. Quare Tragicorum principes nova invenire scenae decora, inventis nova continuo addere et poterant et quasi coacti erant [7]). Tum apparet quoque post Lycurgi tempora scenam theatri Attici non amplius esse permutatam. Ne quis tamen ex hac perpetua scenae mutatione ac mutabilitate fabulas, ubi semel editae fuerint, deinde iterum iterumque correctas in scenam esse productas colligat. Accommodantur fabulae ad scenae leges, ad temporis gustum: sed eandem formam eandem speciem una cum eodem argumento servant. Ita, si quis de variis fabularum recensionibus, quippe quae aut

---

4) Vimariensis in libro: D. attische Theaterwesen, §. 74. add. Photii Bibl. cod. 268. p. 497.

5) Cfr. Genelli, Theater zu Athen, p. 28. — Otfr. Muelleri Eumenidum versio german. p. 100. Schneider. l. l. p. 16 et 63 sq. Contraria sententia Kanngiesseri est: Alte komische Bühne, p. 142 sqq.

6) Cfr. Grysar: de Graecorum tragoedia, qualis fuit circum tempora Demosthenis. Col. 1830. p. 1 sq.

7) De inventis Tragicorum, quae antiqui scriptores retulerunt diligenter collegit Schneiderus l. l. §. 173. p. 152 sqq. add. §. 16. p. 27 sqq. et Fr. Schultz. Vit. Sophocl. p. 61 sqq.

ab ipsis poetis aut ab eorum familia aut ab alienis fuerint institutae, disserere velit: eum, opinor, non multum adjuvabit historia theatri Attici. Namque, ut Euripides in majore honore fuisset quam Aeschylus [8]), ut, sive corruptus fuit Atheniensium gustus sive probus, ad ejusdem fabularum speciem reliquae imprimis Aeschyli accommodarentur, unde, malum, evenit ut hodieque Aeschyli fabulae toto coelo differant ab Euripideis? Mitto Euripidem. Sophocles Aeschylo propior erat quam Euripides. Quis vero Aeschylum contendat ad Sophocleorum dramatum normam conformatum ad nostram pervenisse memoriam? Tam singulari gaudet uterque indole, tam singularem indolem servarunt Athenienses, aut nequibant eam corrumpere. — Verum, quia de permutationibus, quas passae esse fabulae trium Tragicorum dicuntur, loquuti sumus, liceat de antiquissimis dramatum recensionibus pauca disserere. —

Duplex autem quaestio est, prima: num ab ipsis poetis variae earundem fabularum recensiones profectae sint? secunda: num, si quae fuerunt recensiones, earum vestigia in nostris exemplis supersint? — In prima illa quaestione tractanda primas tulit Boeckhius, V. S., eumque sequuti sunt complures. Ac variarum quidem recensionum sive saltem binarum documenta haud levia videntur exstare. Primum numerus fabularum, quae unius auctoris ducant nomen, pervarie a biographis Tragicorum, a lexicographis, scholiastis, aliis definitur. Deinde ejusdem nominis binae sive plures fabulae hic illic laudantur, signatae litera ά, β'. Tertium antiqui scriptores de correctis fabulis passim loquuntur: quartum tandem ipsi fabularum auctores de correctis a semet fabulis videntur gloriari. —

De numero dramatum sive superstitum sive genuinorum inter antiquissimos scriptores judicare poterant imprimis Lycurgus orator, Aristoteles, Dicaearchus, Heraclides Ponticus, Alexander Aetolus, Callimachus, Eratosthenes,

---

8) Quamquam, si numerum victoriarum ab utroque reportatarum conspicimus, Euripides ab Aeschylo mirum quantum superatur.

Aristophanes Byzantius, Aristarchus, Ister, Carystius Pergamenus, Crates, alii. Ex his potissimum eligendi Aristoteles propter opus *Διδασκαλιῶν*, Alexander Aetolus propter scholium illud Plautinum, nostris temporibus illustri judici probatum [9]), Callimachus propter *Πίνακας* et *Διδασκαλιῶν πίνακα* [10]), Aristophanes denique Byzantius, qui etiam de numero fabularum genuinarum egisse diserte a vitae Sophocleae auctore dicitur [11]). Quae quidem curae ad primam quam constituimus periodum non pertinent: earum autem praeter monumenta didascaliarum historica praecipuus fons iterum Lycurgus est, a quo *ἀναγραφήν* dramatum omnium factam esse non ipso quidem verbo narratur, sed luce clarius apparet. Fabulas Tragicorum, postquam doctae sint, in librariorum scriniis vel in omnium manibus versatas esse, ne puta: ultra gentem poetarum actorumque eas amplius propagatas esse non verisimile, nec quisquam ex antiquissimis poetisque proximis scriptoribus perspicua nobis testimonia reliquit. Itaque de numero fabularum certo nondum poterat sermo esse: quamquam unaquaeque, ubi docta est, didascalico monumento publice est ornata. Etiam de dramatis suppositiciis non prius cogitabant Athenienses, quam Aeschyli dramata posterorum pariter atque aliorum Atheniensium cura denuo primas retulissent, quam Jophon Sophoclis patris tragoediis ut propriis usus esset, quam visendarum et decantandarum Euripidis fabularum tantum valuisset studium ut sub ejus nomine possent alienissima recitari. Unde igitur factum est, ut Graeci in dramatum numero constituendo inter se tantopere dissentirent? Primum quaedam fabulae duabus vel pluribus utebantur inscriptionibus: tum ubi ipsius fabulae particula laudatur non omnes illae, sed una alterave apposita est inscriptio. Nonne igitur tres ejusdem fabulae inscriptiones pro trium fabularum poterant haberi atque ab hominibus venditari, quibus ipsum conspicere drama nescio quo fato

9) Fr. Ritschelio, d. Alexandr. Biblioth. p. 3.

10) Sequor Bernhardyum in ed. Suid. s. *Καλλίμαχος*.

11) Cfr. Argumentum Aristophanis in Antigonam Sophoclis.

fuerit denegatum? — Contra eodem nomine plures utuntur fabulae, quemadmodum Fausti Goetheani duae exstant partes. Neque adeo opus est, ut idem argumentum per plures ejusdem nominis fabulas continuatum esse arbitreris: quippe quae omnia poetae arbitrio debeamus relinquere. Plures autem ejusdem nominis fabulae pro una eademque habitae sunt: numerus igitur earum ex altera parte deminutus, ex altera adauctus est. — Num hanc numeri varietatem ipsis poetis, quippe qui varia illa fabulis dederint nomina, debemus imputare? Non puto. Docent enim argumenta Ajacis Sophocleae atque Oedipi Tyranni, dramatibus nonnullis, quo discernerentur a cognominibus, addita a posterioribus [12]) esse cognomina. Verum haec sunt dramata, quorum plura uno eodemque nomine utuntur, sive illa idem tractant argumentum [13]), sive forte fortuna nihil inter se communicant nisi istud nomen suprascriptum. [14]) Nonne Sophocles post priorem Ajacem, ubi docturus erat alteram, hancce cognomine quolibet dato ut novam fabulam obnuntiare debuerit? An poetae simplici numero fabulas distinxerint? ita ut v. c. Ajax Flagellifer prius [15]) docta esset, quam Ajax Locrus, haec vero in didascalico monumento esset litera β' signata[16]). Igitur si illa cognomina, quae tantopere turbaverint genuinum fabularum numerum, recentiori tempori deberi certum est, de variis sive duplicibus recensionibus nosmet cogitare non debemus, neque ubi ejusdem nominis plures afferuntur

---

12) — ὅν ᾤετο εἶναι Ὀδυσσέα, ὅν δήσας ἐμαστίγωσεν, ὅθεν καὶ τῇ ἐπιγραφῇ πρόσκειται ὁ Μαστιγοφόρος, ἤ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ Λοκροῦ. Arg. Oed. Tyr. Ὁ Τύραννος Οἰδίπους ἐπὶ διακρίσει θατέρου ἐπιγέγραπται.

13) Ut utraque Oedipus Sophoclis.

14) Ut utraque Ajax.

15) Scriptor argumenti satis antiquus, nisi fallor, ipse Aristophanes Byzantius, diserte dicit: ἐν δὲ ταῖς Διδασκαλίαις ψιλῶς Αἴας ἀναγέγραπται.

16) Auctor argumenti didascalico opinor opere usus est, quod genuinas didascalias cum collectorum atque editorum animadversionibus conjunctas comprehenderit.

fabulae, neque ubi eadem fabula pluribus inscriptionibus utitur. Ita Sophoclis fuerunt fabulae: *Ἀθάμας*[17]) *αβ* *Αἴας αβ*, fortasse *Ἑλένη αβγ*[18]) *Θυέστης αβ*[19]), *Λήμνιαι αβ*, fortasse *Ναύπλιος αβ*[20]) *Ὀδυσσεὺς αβ*[21]), *Οἰδίπους αβ*. *Τυρώ αβ*. *Φιλοκτήτης αβ*, *Φινεύς αβ*. — At ne sic quidem certum et distinctum fabularum numerum accepimus. Aristophanis Byzantii numerum difficillime indagabis: qui quum centum et triginta fabulas Sophoclis nomine inscriptas fuisse, ex his autem septemdecim suspectas esse referat, centum et tredecim fabulas pro genuinis accipit; contrà Suidas CXXIII. videtur enumerasse, quem quidem numerum etiamnum possumus enucleare, si censui[22]) Boeckhii clarissimi haec addimus fabularum nomina, numero XVII.[23]) *Ἑλένη? Ἑλένης ἁρπαγή, Ἑλένης γάμος, Κρέουσα, Λήμνιαι β*, *Μέμνων, Μυσοί, Μῶμος, Ναύπλιος β, Οἰνεύς, Προμηθεύς, Τήλεφος, Τυρώ β, Φθιωτίδες, Φινεύς β, Χρύσης, Ὠρειθυία*[24]). Attamen non meum esse apparet, quot fabulas viri docti ex illo numero exemerint, pluribus

---

17) Quamquam Schol. Arist. Nubb. 257 tantum unam nominat. Sed praestat auctoritas lexici Hesychiani s. *ἔρχεσι* et *ἐφίαι*.

18) Nimirum *Ἑλένης ἁρπαγή*, *Ἑλένης γάμος*, *Ἑλένης ἀπαίτησις*. G. Dindorfius in fragm. coll. etiam quartam fabulam cui simplex fuerit nomen: *Ἑλένη* videtur accepisse.

19) Prima etiam *Θυέστης ἐν Σικυῶνι* sive *Σικυώνιος* appellabatur, altera cognomine quantum scio caret.

20) *Ναύπλιος καταπλέων* et *N. πυρκαεύς*. Cfr. Stephan. s. *Ἀσπίς*, Herodian *π. μονήρους λέξεως* p. 31, 21. Hesych. s. *ἐπίκοτα*, s. *ναύκληρον πλάτην*, al.

21) *Ὀδ. ἀκανθοπλὴξ ἢ Νίπτρα* et *Ὀδ. μαινόμενος*. cf. fragmenta e coll. Dind.

22) De gr. trag. princc. p. 119 sq.

23) Plura enim reperire nequibam.

24) Quam incertus omnino genuinorum dramatum numerus fuerit, vel e sequente colligas loco: G. Dindorf. in editione Antigonae Parisiensi Lucilli Tarrhaei hanc nobiscum communicat sententiam: *Πολλὰ νοθευόμενά ἐστι, ὡς ἡ Σοφοκλέους Ἀν-*

enarrare. Certe vita Sophoclis ab anonymo conscripta Suida antiquior est, neque verba: ὥς φησιν Ἀριστοφάνης e Suidae fabrica esse ausim contendere. Suidae enim omniumque illius temporis lexicographorum potius omittere erat sententiarum auctores, quam eorum nomina ita accurate ut anonymus fecit apponere [25]). Immo forsitan majore jure secundum vitae auctorem scribendum apud Suidam est ϱιγ' pro ϱκγ'. Sed haec hactenus. — Ex Euripidis fabulis notandae: Ἀλκμαίων ὁ διὰ Ψωφῖδος, Ἀλκμαίων ὁ διὰ Κορίνθου, Ἀλκμαίων [26]); Ἱππόλυτος καλυπτόμενος et Ἱππ. στεφανηφόρος; Μελανίππη ἡ σοφή et Μελανίππη ἡ δεσμῶτις, Ἰφιγένεια ἡ ἐν Αὐλίδι et Ἰφιγένεια ἡ ἐν Ταύροις [27]). Ex Aeschyli fabulis notandae: Γλαῦκος πόντιος et Γλ. ποτνιεύς; Προμηθεὺς πυρφόρος, Πρ. δεσμώτης, Πρ. λυόμενος, Πρ. πυρκαεύς; Σίσυφος δραπέτης et Σισ. πετροκυλιστής. — Aeschylus autem, qui toti trilogiae [28]) pariter ac singulis fabulis dedit nomen, ita cognominum quodammodo inventor est. Ita Promethiae fabulas simpliciter videtur: Πυρφόρον, Δεσμώτην, Λυόμενον appellasse scilicet praemisso nomine Προμηθείας. Sed ejusmodi cognomine in una Promethia opus erat, quippe cujus argumentum ad unam eandemque personam pertineret. Attamen non video, cur Aeschylus cognomine distinguere debuerit fabulam: Γλαῦκος πόντιος ab illa: Γλ. ποτνιεύς. Itaque etiam sine illo cognomine (quamquam hoc leve fateor argumentum est) hic illic citantur fabulae [29]). — Quidquid Aeschylo

---

τιγόνη. λέγεται γὰρ εἶναι Ἰοφῶντος τοῦ Σοφοκλέους υἱοῦ. Cfr. Crameri Anecd. Gr. IV. p. 315.

25) Vid. infra, ubi de lexicographis sermo erit.

26) Certe duae ejusdem nominis fabulae exstabant. G. Dindorfius tres videtur accepisse.

27) Add. Athenaeum p. 413 c. Εὐρ. ἐν τῷ πρώτῳ Αὐτολύκῳ. cfr. Boeckh. l. l. p. 20 sq.

28) Cfr. Arist. Thesmoph. v. 135. Schol. Ar. Rann. 1148 (1155).

29) Ut ap. Pausan. IX, 22, 6. Phrynichum Bekkeri I. p. 5, 21. Schol. Pind. Pyth. I. v. 152. Schol. Hom. Il. ν, 198.

concedimus, in didascaliis tantum unum alterumve fabulae nomen positum fuisse, mihi non dubium. — Atque omnino e numeri mutabilitate non extricabis, quo virorum doctorum de duplici variave recensione atque editione sententias possis firmare. —

At ipsi veteres scriptores [30]) fabulas correctas esse referunt. — Praeter Quinctilianum (X. 1, 66) scio profecto neminem, qui de correctis, de retractatis Tragicorum fabulis loquutus sit; eas denuo doctas esse plures narrant. Unde sua hauserit Quinctilianus nescio: cur omnino acerbum illud judicium fecerit non ita facile intelligo. Quid enim Aeschylo cum oratoria? Vitia illa, quae Romanus reprehendit, si corrigendo et retractando tollere studuissent Graeci penitus permutassent poetam prae reliquis sublimem ac novum reddidissent, quique genuino Aeschylo prorsus esset dissimilis. Ita in omnibus fabulis poeta etiamnum idem est. Graecos vero scriptores, qui e fonte communi eoque satis antiquo videntur sua sumsisse, Quinctiliano praeponere nullus dubito. — Ut denique Aeschyli fabulae demta una alterave parte, quemadmodum Chorum in angustiores fines contractum a posteris esse putes, denuo doctae essent, attamen non de ipsis verbis correctis vel retractatis atque expolitis debebant cogitare: neque tandem ex omnibus hujusmodi argumentis Aeschyli fabulas tantum correctas ad nostram usque aetatem pervenisse elucet. — Nec sufficiunt Veterum testimonia de Sophoclearum fabularum correctione, de qua nihil diserte tradunt [31]). Correctas Sophoclis fabulas etiamnum exstare nuperrime docuit C. Fr. Hermannus, ratione Oedipi Colonei habita [32]). Alii ipsum Sophoclem fabulas suas retractasse, retractatasque denuo docuisse

---

30) Eorum testimonia collegit Boeckh. l. l. p. 20 sqq. p. 26, p. 115 sqq.

31) Pertinent huc Scholia in Aristophanem, lexicographi ut Suidas atque ex eo Eudocia, alii, v. not. 25. Cfr. Boeckh ll. ll.

32) Quaest. Oedipodd. C. III. 1837, p. 43: „Longe profecto facilius hanc difficultatem ita expediemus, ut omnes locos, qui laudem aliquam Thebarum continent, a juniore Sophocle additos

e quibusdam indiciis suspicabantur. Quo pertinet narratio de Calliae grammatica tragoedia, de cujus tempore tantopere inter se dissentiunt philologi nostri [33]). Inter quos Welckeri, viri egregii, sententiam toto animo amplector [34]); quare ne tempus quidem actae Oedipi Tyranni ex Athenaei locis [35]) colligere possum. — Deinde poetae in patriae gratiam atque illustrium memoriam virorum historica tragoediis immiscuisse dicuntur; ut, ubi denuo agerent fabulam, prius dicta, utpote quae praesenti tempori non convenirent, omittere eorumque loco nova quaedam addere deberent. Unde tempus quarundam fabularum, quo actae fuerint, enucleare conati complures sunt. — Ita C. Fr. Hermannus Oedipum Tyrannum Sophoclis in Periclis memoriam scriptam esse conjecit [36]). In cujus memoriam plerique poetae videntur aliquot versus suis fabulis immiscuisse. Jacobus [37]) Trachinias Ol. 87, 4 doctam esse, quod Sophocles versus 1114, 1115 in Periclis aegrotantis dixisset memoriam, conjecit. Eodem anno etiam Hippolytum Euripidis doctam esse e fragmento didascalico, quod argumento annexum est, constat: cujus fabulae vers. 1406 sqq. jam Boeckhius ad ejusdem Periclis morbum pertinere do-

---

esse statuamus, qui quum fabulam ab avo relictam editioni pararet etc." Certe eximia longitudo dramatis nihil demonstrat.

33) Cfr. G. Hermann. de ling. Gr. dial. p. 10 sqq. Boeckh. de Gr. tr. Pr. p. 86 sqq. et 138 sqq. Ej. Ind. Lect. Berol. a. 1823. de Crisi Pindar. p. 13. Pflugk Prolus. ad Eurip. Med. p. 6 sqq. Welcker. in Nov. Mus. Rhenan. I. p. 137 sqq.

34) V. Welcker. l. c. p. 150 sqq. Boeckhio assentitur, ut apparet, Bernhardy: Gr. Litt. Gesch. p. 519.

35) Deipnos. VII. 276 a. X. 448 b. 453 e.

36) Quaest. Oedipod. p. 27 sq.: „Multo certius sententiae nostrae argumentum inde accedere arbitramur, quod proxime sequente aestate Ol. 77, 4 Periclem mortuum esse constat, quem ipsum sub Oedipi persona exagitasse nobis Sophocles videtur."

37) Quaest. Sophocl. p. 288, probatus Schultzio Vit. Soph. p. 87 sq.

cuit[38]). — Certum est, Tragicos saepius patriae[39]) ejusque virorum illustrium grato animo meminisse, sed quum de iteratis fabulis plerumque nihil certi constet, etiam ex historicis additamentis ad indagandam de duplicibus recensionibus quaestionem parum auxilii capiemus. Una Antigona, quantum scio, bis ab eodem Sophocle doeta est si vera fabula, eum in tragoedia denuo tractanda, sive histriones exercebat, sive ipse eam coram auditoribus legebat, esse morte abreptum. Duplicis tamen recensionis indicia adhuc nulla reperta sunt. — G. Hermannus duplicem Trachiniarum recensionem a Sophocle factam esse, non tam ex historicis indiciis suspicatur, quam ex hodierno fabulae habitu[40]). Hermanni rationes editoribus Trachiniarum non

38) l. l. p. 187, laudatus Jacobo, l. l. — In utraque fabula futura: σφαλήσεται et στερήσεσθε, Periclem morbo nondum confectum esse luculenter indicant. Morbum longinquum fuisse narrat Plutarchus Pericl. c. 28. Ita Trachiniae eodem anno docta fuisset, quo Hippolytus Euripidis. Verumtamen fragmentum illud didascalicum Euripidem cum Jophonte et Jone certasse docet. Unde plurima possis colligere, aut bis eodem anno novis tragoediis certatum esse apud Athenienses, aut Jophontem patris fabulam docuisse, aut ipsius Jophontis esse fabulam alioquin viris doctis suspectam, aut denique versus illos Chori Trachiniarum ad alium spectasse virum. Fides didascaliarum certissima est. —

39) Schol. Soph. Oed. Col. v. 457 *Πολλαχοῦ οἱ τραγικοὶ χαρίζονται ταῖς πατρίσιν ἔνια.* Cfr., quae C. Lachmannus, vir celeberrimus, de Oedipo Coloneo dixit Mus. Rhen. Nieb. I. p. 320. „Die Tragoedie spielt nicht etwa wie andere auf politische Verhältnisse an, sie ist durch und durch politisch."

40) Quos sibi elegit Hermannus locos, hi sunt: vv. 7, 12, 84, 88—89, 523—528, 894—895, 784—785, 294, 1107. — In vv. 7, 12 (294, 1107) Hermannus e scripturae discrepantia duplicem recensionem ab ipso Sophocle factam esse collegit. Ac de variis lectionibus, quae antiquissimae videntur esse infra exponam. — In versu 7 Trachiniarum peccarunt et histriones et librarii, illi suo Marte verba mutarunt, hi fortasse e dictatis falsum posuerunt; aut exemplo cuidam histrionum interpolationes adscriptae cum eoque collatae sunt. — (De his quoque

probantur. Similiter in Philocteta Jacobus l. l. p. 310 sqq. aliquot versus spurios eosque pro novae editionis indiciis et speciminibus habendos esse judicavit, non omnibus probatus editoribus. Ac Sophocles, qui quatuor fere annis post actam fabulam mortuus est, Philoctetem corrigere et retractare non potuit: fabula autem quae primas tulerat a posterioribus grammaticis, quantum e scholiis superstitibus colligi licet, prae reliquis mire neglecta est. Etiam haec contra duplicem ejus recensionem loquuntur. — Ex Euri-

---

infra dicam). In illo igitur versu non duae ut Hermannus vult, sed tres lectiones ejusdem verbi aliquando exstabant: *ὄτλον, ὄκνον, μόρον.* Ita enim scribendum esse scholium arbitror: *εἰ δὲ γρ. ὄτλον, τὴν ταλαιπωρίαν, ἢ γρ. μόρον, τὸ μεμορημένον καὶ πεπρωμένον, ὡς Ὅμηρος* (fortasse Il. π. 241). Unde triplicem possis recensionem suspicari. — Ad v. 12. Strabo alienam affert lectionem: unde eam sumserit, nescio. Fontes ejus tam antiqui possunt esse quam ii illustrium interpretum. Sed geographi non erat, versus, quorum forte meminerat, accuratissime descriptos apponere. Ita ad v. 784 sq. Diogenis Laertii lectio fere nihil pertinet: nec Scholiastae quidquam annotant: quidni Diogenes in suum finem vel memoriae errore mutaverit aut transposuerit aut deleverit omnino genuina poetae verba? — Etiam integros versus ejecit Hermannus hos: v. 84 probatus Dindorfio, Nevio, Apitzio, Elmslejo. vv. 88 et 89 cum Wundero, Dindorfio (qui tamen nuperrime vv. 90, 91 delere mavult) Gaisfordio, Elmslejo, Ellendtio (Lex. Soph. s. *προταρβεῖν*) Nevio, vv. 523—525 (cfr. Reisig Comm. Crit. Oed. Col. v. 1669.) vv. 894 cum Wundero et Dindorfio. Licet permulti cum Hermanno illos versus spurios esse judicaverint, duplicem tamen recensionem praeter eum nullus fere suspicatus est criticus. G. Dindorfius in VII. Sophoclis tragoediis duodequinquaginta versus spurios esse contendit (Annott. ad Soph. Tragg. Praef. p. IV.); num igitur omnes illas fabulas correctas esse putes? Idem: „alia, inquit, ab Grammaticis librariisve sunt interpolata, sententias poetae vel additamentis suis amplificantibus, vel si quam lacunam in Codd. animadvertissent, defectum verborum poetae utcunque resarcientibus.“ Neque aliud quid unquam poterit in Sophocle indagari. —

pides fabulis Boeckhius V. S. Medeam [41]), Hippolytum, Iphigeniam Aulidensem, Bacchas duplicem recensionem passas esse ostendere conatur. Ac de Hippolyto Boeckhius [42]) „Hippolyti Euripideae duae fuerunt editiones, altera *καλυπτομένου*, altera *στεφανηφόρου*." Argumenti enim auctor haec habet: *ἔστι δὲ οὗτος ὁ Ἱππόλυτος δεύτερος καὶ Στεφανίας προσαγορευόμενος. ἐμφαίνεται δὲ ὕστερος γεγραμμένος. τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι. τὸ δὲ δρᾶμα τῶν πρώτων.* Sed diversa fuisse dramata testantur Schol. Theocriti [43]), Plutarch. Moral. [44]), Pollux [45]), testantur fragmenta apud Stobaeum, Erotianum, Justinum Mart., alios, majora ea, quam quae ad fabulam nova recensione retractatam pertineant. Utraque fabula servata erat et commentariis ni fallor instructa. Ipsa denique argumenti verba, priorem Hippolytum non stetisse, posteriorem nostram primas tulisse docent. Ergo mutationes atque emendationes Euripidis, si quae fuerunt, tantas fuisse oportet, quae fabulam penitus novam atque incognitam redderent Atheniensibus [46]). — De Iphigenia Aulidensi duplex quaestio est, prima num ab Euripide Mnesarchi f. sit profecta, altera, si Euripidis illius re vera est, num ab eo recensita sit? Quibus has addas quaestiones: num primam editionem legamus alteramve? an fabulam, ex utraque commixtam, an ex Euripidis aliusque Tragici fabulis a posteriore tragico nescio quo consarcinatam? — De prima quaestione praeter editores fabulae in primis Boeckhius [47]) egit, interque novissimos Gruppius [48]). Boeckhius a juniore Euripide recensitam atque interpolatam fabulam ma-

---

41) De Medea infra, ubi de histrionibus sermo erit. Boeckh. p. 171 sqq. p. 298.

42) l. l. p. 180.

43) Id. II. 10. 44) p. 28 a. 45) IX. 50.

46) Eandem quaestionem de Nubibus Aristophanis exagitavit Fritzschius, Quaest. Aristoph. et Euphrosyne p. 57 sqq. cfr. Dindorf. Comm. de Arist. fragm. p. 15—23.

47) l. l. 214 sqq. 234 235 sqq.

48) Gruppii Ariadne p. 462—567.

joris Tragici esse conjecit: docta est una cum Alcmaeone [49]) et Bacchis post mortuum Euripidem [50]). Corrector e Boeckhii sententia prologum Euripideum delevit, „deinde ille locus, qui nunc est vice prologi, vv. 49 sqq. adjectus est aut ex parte translatus ex ipso Euripidis Mnesarchi prologo." Etiam Hermannus interpolatam esse fabulam profitetur [51]): sed a multo juniore homine, qui nec poetico sensu praeditus fuerit neque adeo graecae linguae peritus [52]). Gruppius Chaeremonis Iphigeniam nostram esse suspicatur fretus potissimum Athenaei testimonio [53]). Ipsum Euripidem recensuisse fabulam et correxisse, nemo quantum scio demonstravit. Etiam Seyffertus de seriore interpolatione contra Boeckhium disputavit [54]). Una cum Iphigenia etiam Bacchas correctam esse Boeckhius censet [55]); atque hanc filii correctionem etiamnum superesse. Idem vir egregius in Palamede quoque duplicis recensionis vestigia suspicatur [56]). — Hactenus virorum doctorum de duplici fabularum recensione sententias potiores attuli. Cor-

---

49) Intelligenda opinor fabula Ἀλκμαίων ὁ διὰ Κορίνθου. Altera Ἀ. ὁ διὰ Ψωφῖδος una cum Alcestide, Τηλέφῳ, Κρήσσαις acta est Ol. 85, 2.

50) Schol. Arist. Rann. 67.

51) V. Hermanni Praef. ad ed. Eurip. Iphig. p. XXII. sq. XXVIII. XXXI.

52) ll. ll. cfr. p. VIII. sqq.

53) Deipn. XIII. p. 562 sq. malo Hermanni emendationem. In didascaliis Iphigenia nostra ut Euripidis fabula memoratur. Quarum fides mirum quantum Athenaei fidem superat. Gruppius nondum demonstravit, Athenaeo nunquam memoriae errorem esse imputandum.

54) M. Seyfferti de duplici recensione Iphigenia Aulidensis quaestiuncula a. 1831 p. 13 sqq. — Boeckhius secundam Iphigeniae editionem ad nostram usque aetatem pervenisse contendit p. 298.

55) l. l. p. 297 sqq. p. 308 sqq.

56) Propter narrationes Diogenis L. II. 44 et argum. Isocrat. Encom. Busiridis. Etiam Valcken. Diatrib. p. 191 extr. profitetur posse Euripidis Palamedem post mortuum Socratem

rectionis ab ipsis tribus Tragicis factae specimina perquam exigua sunt; immo Medea excepta, de qua tamen testimonia solis conjecturis nituntur, certum argumentum profecto non reperies. Sed, qui historicis careamus argumentis, num omnibus omnino caremus? Immo videtur et Aeschylo et Euripidi duplex quarundam fabularum recensio concedenda esse. Aeschyli enim erat, juvenem artem alere atque educare: ipse videbat tempora summi artis tragicae floris, ac juniorum tragicorum inventa eum accipere oportebat. Itaque ubi novam alicujus fabulae editionem paravit, eam ad temporis gustum atque ad novissimas artis tragicae leges accommodare coactus est. Euripides vero si nihil aliud saltem Comicorum convicia fugere debebat. Uterque artem suam perficere studuit sed diversa ratione. Aeschylus intimam tragoediae speciem cum Sophoclea illa adaequare conatus est [57]); Euripides in singulis fere versibus vel verbis inimicorum judicio atque imperio obsequutus est: formam tragoediae pertinaciter servavit. — Ut vero utrumque fabulas suas sua ratione corrigere potuisse concedamus, restat tamen gravissima quaestio, num coactus fuerit uterque, fabulas quasdam bis vel pluries docere? Quotnam omnino fabulae a tribus tragodiae principibus bis doctae sunt? Perexigua exempla sunt eaque addubitata. Immo

---

esse actam. Attamen si fuerit correcta, non ab ipso Euripide potuit correcta esse.

57) Cfr. Welckeri Aeschyl. Trilog. p. 514 sq. — Vitae Aeschyleae auctor et Pollux IV. 15 Eumenidum Chorum non stetisse narrant. Quorum testimoniis additis Suidae narrationibus ita utitur Boeckhius, ut Eumenides sive Orestiam bis doctam esse contendat, eamque primum cecidisse, secundo vero primas retulisse demonstret. Testimonia illa cum Boettigero Welckerus labefactavit: Aesch. Tril. p. 519. Muellerus in edit. Eumenid. utrique videtur assentiri. In nostra fabula quaenam supersunt prioris editionis indicia? Ut Choreutarum numerum deminutum esse profiteamur, ipsa Chori cantica poetam recidisse veri non est simile. Perbene Welckerus l. l. Aeschylum etiam a suspicione liberat, quasi propter cladem acceptam irabundus deseruerit Athenas. cfr. Petersen de Aesch. Vita p. 178.

decretum illud publicum Atheniensium, quo fabulas Aeschyli post ipsius mortem doceri jusserunt [58]), ad reliquos quoque Tragoediae principes postea pertinuisse videtur: qui dum in vivis erant, continuo novas fabulas in scenam producere valebant. Ita Aeschylus in novas fabulas aliorum inventa receperit: ita Euripides in novis fabulis quae Atheniensibus non probata fuerint evitaverit [59]). — At semel doctas fabulas corrigere Tragici nusquam erant coacti. Quod comoediarum poetis licebat et quasi necessarium erat, eo Tragici supersedere poterant. Quorum fabulae licet temporis legibus convenirent, attamen non temporis erant simulacra. —

---

58) Schol. Arist. Rann. 892: τὰ Αἰσχύλου ἐψηφίσαντο διδάσκειν. Et Vit. Aesch. Ἀθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἠγάπησαν Αἰσχύλον, ὡς ψηφίσασθαι μετὰ θάνατον αὐτοῦ, τὸν βουλόμενον διδάσκειν τὰ Αἰσχύλου χρυσὸν (scrib. χορὸν) λαμβάνειν.

59) Etiam hic disertis testimoniis caremus. — In Euripidis Medea v. 300 Boeckhius cum Porsono variam lectionem ἔπη e secundis poetae curis profectam esse arbitratur (p. 178). Scholiastae, qui ceteroquin in variis lectionibus enumerandis non multi sunt, etiam h. l. nullam offerunt. At utrumque scribere potuit Euripides, Aristophanes utrumque perstringere eodem verbo σοφά. Quamquam si mutasset ἔπη in Euripideum σοφά major absque dubio irrisio fuisset. Ipsi scholiastae reprehendunt Euripidem ut ἐνεπίφορον εἰς τὸ λέγειν σοφός καὶ σοφή. ad Med. v. 660: profecto majore jure, quam quo de Sophocle dicitur ap. Etymol. M. s. κάπηλος: Ὁ μὲν οὖν Σοφοκλῆς ἐνεπίφορος ἐπὶ τὸν πηλόν. (Eadem in Crameri Anecdd. Gr. II. p. 455). — Nonne Aristophanes nota Euripidis verba levi ista mutatione perstrinxit? Ac ne tempus quidem actae Medeae e Thesmophoriazusarum versu colligas. Aristophanes enim ut jure posset in Euripidem invehi, ipsius tragoedias paene ediscere debebat, quo facillime vel antiquioris fabulae posset recordari. — Ceterum ubi alii scriptores praesertim posteriores Tragicorum versus aliquantum mutatos recitant, quid jubet nos statim varias recensiones suspicari? — Scimus denique, Tragicos res gestas civitatis nonnunquam tetigisse: quae si ad diversa tempora pertinerent, demonstrarent luculentissime

Ergo apparet, Tragicos non gloriari potuisse de fabulis pluries correctis: et quidquid concedere Comicis debemus, vel ipse Aristophanes verba illa, quibus semet continuo novis fabulis delectavisse Athenienses et delectare gloriatur, non contra aliorum poetarum correctas et repetitas comoedias loquitur, sed contra quosdam εὐεπιφόρους εἰς τὸ λέγειν ἀεὶ τὰς αὐτὰς ἰδέας [60]).

Iam vero quaestione de duplicibus fabularum recensionibus proposita magis atque incepta, quam penitus tractata, ad antiquissimas fabularum graecarum interpolationes animum advertamus. E repetitis quibusdam sententiis [61])

---

diversas recensiones. Cujusmodi tamen argumenta nondum potui reperire.

60) Arist. Nubb. v. 545 sqq. Cf. Boeckh. l. l. p. 21 sq. Quin Comici fabulas suas retractaverint non dubito. Galenus in Hippocrat. de salubri diaeta: ἐπισκευάζεσθαι λέγεται βιβλίον ἐπὶ τῷ προτέρῳ γεγραμμένῳ τὸ δεύτερον γραφὲν, ὅταν τὴν ὑπόθεσιν ἔχον τὴν αὐτὴν καὶ τὰς πλείστας τῶν ῥήσεων τὰς αὐτὰς, τινά μὲν ἀφῃρημένα ἐκ τοῦ προτέρου γράμματος ἔχει, τινὰ δὲ προσκείμενα, τινὰ δὲ ὑπηλλαγμένα. παράδειγμα δ' εἰ βούλει τουτου σαφηνείας ἕνεκα τὸν δεύτερον Αὐτόλυκον Εὐπόλιδος ἔχεις, ἐκ τοῦ προτέρου διασκευασμένον. et Athen. III, 132. (et I, p. 41.) Ἐπίχαρμος ἐν Ἥβας γάμῳ κἂν Μούσαις, τοῦτο δὲ τὸ δρᾶμα διασκευή ἐστι τῶν προκειμένων. Ad quem locum Casaubonus aliorum Comicorum, Aristophanis, Antiphanis, Diphili fabulas recentatas enumerat. Recte opinor. Comoedia enim temporis simulacrum est. Tempore alitur, cum tempore evanescit. Ita ut post cujusvis Comici mortem fabulas non amplius esse doctas vel repetitas jure contendas: quas tamen ab ipsis auctoribus retractatas esse non dubites.

61) Quo pertinet etiam quaestio de furtis litterariis, quae quidem Sophocli atque Euripidi imputantur. cfr. Boeckh. l. l. p. 131. sqq. 244 sqq. Schultzii Vit. Soph. p. 137 sqq. p. 154. Quaedam sententiae, quibus permulti poetae, ne dicam solos Tragicos, usi sunt, prae reliquis placebant Atheniensibus (cfr. editores Sophocl. Trachin. v. 1). Euripides vero ista amat repetere, quae suum ipsius assensum semel tulerint. Plerumque

atque integris versibus interpolatas esse (et correctas) fabulas nonnulli suspicati sunt VV. DD. Quibus adnumerantur versus, qui formulae instar vicisse fabulam indicantis ad finem nonnullarum Tragicorum praesertim Euripidis fabularum annexi sunt. Sic quinque e superstitibus Euripidis tragoediis, Medea, Alcestis, Helena, Andromacha, Bacchae, iisdem versibus, paucissimis in Medeae fine mutatis verbis, finiuntur. Deinde Phoenissae et Orestes et Iphigenia Taurica eadem clausula utuntur [62]). Priore illa clausula spectatores quasi impellere studet poeta ut applaudant tragoediae. Loquitur enim de rebus insperatis et inopinatis, ita ut ipse Chorus per Chorumque ipse poeta sua verba admiretur eoque auram captet popularem. Ac versus illos genuinos esse non dubito. Reliquae contra clausulae Phoenissarum, Orestis, Iphigeniae quonam tempore scriptae sint profecto ambigas. Potuit eas Euripides scripsisse sive victoriae reportatae sive saltem bene speratae gratia [63]). — Phoenissas vicisse jam ex verbis argumenti patet: ἔστι δὲ τὸ παρὸν δρᾶμα τῶν ἄγαν ἐξαιρετῶν: atque de Oreste argumenti scriptor: τὸ δὲ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων [64]). At de Iphigenia nihil certi constat, quod ad

ergo, quae pro furtis litterariis venditantur, ea profecto nihil sunt, nisi idem meritum alius poetae. Nihil acerbius perstrinxisset Aristophanes, quam ejusmodi furta, immo ne Sophocli quidem unquam pepercisset, de cujus videlicet furtis Philostratus Alexandrinus integrum librum scripsisse fertur a Porphyrio apud Eusebium Praep. Evang. X. 3. Cfr. Vateri Prolegomena ad ed. Eurip. Rhesum p. 85 sqq. Boeckh. l. l. p. 247 sqq.

62) G. Dindorfio suspecta ab eoque uncis inclusa. Boeckh. p. 250.

63) Quae dudum Valckenarii sententia fuit, subabsurda vocata a Boeckhio p. 266, qui clausulas in iis fabulis reperiri contendit, quarum fausta conversio fuerit, ut Orestae et Iphigeniae Tauricae: ita ut Phoenissis iidem versus inepte additi sint ab alieno homine nescio quo. Attamen egregie sententiam Valckenarii probat, quod in fine scholiorum in Phoenissas e Codd. Florentinis additum reperio nimirum de clausula ista Chori: ὁ χορὸς ἐκ προσώπου τοῦ ποιητοῦ.

64) Quocum male consentit ejusdem argumenti auctor: ad-

argumentum attinet brevissimum. Veri tamen perquam simile est, omnes Euripidis fabulas, quae primas tulerint, eadem solemni clausula esse ornatas. Scimus autem, Hippolytum primas tulisse [65]): ac de Supplicibus idem suspicari licet, quia τὸ δρᾶμα ἐγκώμιον Ἀθηνῶν erat. Euripidem quinquies vicisse narrat e. g. M. T. Varro apud Gellium [66]). Ecce superstites quinque tragoediae, quae primas tulisse videntur [67]). — Nihilominus per se patet non posse hanc clausulam ante actam fabulam ab Euripide scriptam esse: sed ipse poeta illius auctor clausulae aeque genuinae atque ea, qua propria verba admiretur [68]). — Optime fateor versus in monumento didascalico se haberent, nisi de hujus forma incertissimum esset judicium. Denique sive Euripidis est ejusmodi clausula sive alius auctoris, saltem specimen exhibet omnium antiquissimae interpolationis [69]). — Hactenus de interpolationibus ipsorum Tra-

---

dit enim: χείριστον δὲ τοῖς ἤθεσι· πλὴν γὰρ Πυλάδου πάντες φαῦλοι ἦσαν.

65) Argumenti auctor: τὸ δρᾶμα τῶν πρώτων.

66) Noct. Att. XVII. 4: „Euripidem quoque, M. Varro ait, cum quinque et septuaginta tragoedias scripserit in quinque solis vicisse cum saepe vincerent poetae ignavissimi." — Cfr. Grysar l. l. p. 20.

67) Longe tamen verisimilius est, Euripidem quinque tetralogiis vicisse. Certe fragmenta didascalica illud ostendunt, Euripidem plerumque quaternis certasse dramatis. Ceterum de ejus victoriis v. Suidam.

68) Quo pertinet etiam finis Hippolyti Euripideae, in quo idem verbum ἀέλπτως occurrit. E clausulis istis Boeckhius praecipue Phoenissarum damnat (p. 265 sq.) una cum sex vv. trochaicis, qui proxime antecedunt. Quamquam paullo ante, Euripidem saepius eadem dicta repetiisse probaverat. Consulto Euripides Sophoclem imitatus est: idque ita probatum fuit Atheniensibus ut primas referret. Phoenissae igitur post Sophoclis Oedipum Tyrannum acta est. — De imitationibus vid. quae idem Vir Summus l. l. sagaciter disputavit.

69) Credo enim additamenta illa ad unum omnia ab ipsis fabularum auctoribus profecta esse.

gicorum, si ita dicere licet additamenta illa de quibus modo disputavimus.

Accedo ad quaestionem de interpolationibus atque emendationibus histrionum. Atque histriones re vera primi sunt, qui emendatorum et interpolatorum mereantur nomen. Iam Sophocles ad eorum indolem fabulas suas accommodasse fertur: idque [70]) ab omnibus poetis qui iisdem actoribus continuo usi sunt, factum procul dubio est. Postero autem tempore quo ipsi histriones duce protagonista poetarum loco fabulas suo nomine docebant, etiam magis ad suum arbitrium eos edidisse illas apparet. Quales igitur curas impenderint dramatis? Ad totam fabularum conformationem eorum *διασκευὴν* non pertinuisse, jam Grysarus monuit [71]), cui plane assentior. Nihilominus Athenienses, qui genuina poetarum verba audire malebant, ista *διασκευὴ* potuit ita offendere, ut lege eam cohiberent. Iam, quae scholiastae de histrionum interpolationibus retulerunt, nonnunquam ad integras sententias pertinent, plerumque ad singula tantum verba. Ut vero eorum curas et facilius et accuratius dijudicemus, integra scholiastarum verba apponere placet.

Schol. Eurip. Phoen. v. 264 (Matthiaei) *οὐ μεθῶσιν*] *οἱ μὲν γράφουσιν οὐκ ἐφρῶσιν. οἱ οὖν ὑποκριταὶ διὰ τὸ δυσέκφορον μεταπλάττουσι τὴν λέξιν. καὶ Φιλόξενος ἐν τῷ περὶ μονοσυλλάβων ῥημάτων, ὅτι διαλαμβάνει περὶ τοῦ φρῶ, ταύτην τὴν χρῆσιν φησίν.* — G. Dindorf. genuinam Euripidis lectionem *οὐκ ἐκφρῶσ'* optime restituit [72]): eamque etiam Philoxenus absque dubio ante oculos habuit. Atque *οὐκ ἐκφρῶσιν* re vera *δυσέκφορον* histrionibus, quibus gratias habeas, quod auribus spectatorum indulgere

70) De Sophocle Ister apud Vitae auctorem. — Unde apparet quoque, quid sibi velit, quod Euripides una cum Cephisophonte suo histrione tragoedias elaborasse dicitur.

71) Cfr. Grysar. l. l. p. 7.

72) Praef. ad Corp. Poet. Scen. p. XXIX. Ceterum Sophoclem quoque *οὐκ ἐκφρῶσιν* dixisse non puto, quod parum conveniret dulcissimo poetae.

maluerint, quam poetae qui literas quasdam justo plus amat repetere ambitioni. Certe Dindorfius immerito histriones reprehendit.

Schol. Eur. Med. v. 85: *τίς δ' οὐχὶ θνητῶν; ἄρτι γιγνώσκεις τόδε*]. *οὕτως ἀναγνωστέον, τίς δ' οὐχὶ θνητῶν, καὶ στικτέον· εἶτα ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς, ἄρτι γινώσκεις τόδε· διὸ καὶ μετὰ τοῦ σ γραπτέον, οἷον τίς οὐκ ἔστι κακὸς εἰς φίλους, εἶτα τὸ ἄρτι γινώσκεις τόδε, οἷον ἄρτι ἔγνωκας, ὅτι ἑαυτοὺς μᾶλλον φιλοῦσιν ἢ τοὺς πέλας.* — *οἱ δὲ ὑποκριταὶ τοῦτο ἀγνοήσαντες, τό τῆς ἀντιδιαστολῆς μετατιθέασιν εἰς τὸ τίς δ' οὐχὶ θνητῶν τοῦτο γιγνώσκει σαφῶς.* Nisi prorsus fallor, Euripides non ut Scholiasta vult, exhibuit versum, sed potius ita: *τίς δ' οὐχὶ θνητῶν; ἄρτι γιγνώσκεις σαφῶς;* Quod quum aegre ferrent propter sigmatismum re vera molestum, integram poetae sententiam laedere ausi sunt. *Σαφῶς* editorum recentiorum, quot scio, nemo in textum recepit. — Cui simillimum:

Schol. Eur. Med. v. 231: *ἐν ᾧ γὰρ ἦν μοι πάντα γιγνώσκειν καλῶς*] *ἐν ᾧ ἦν μοι πάντα κάκιστος ἀνδρῶν ἐκβέβηκεν· οἱ ὑποκριταὶ οὐ συμπεριφερόμενοι τῷ τρόπῳ λέγουσι γινώσκειν καλῶς.* — Apertum est, scribendum esse ut Musgravius et Elmslejus fecerunt, *γινώσκεις καλῶς.* Plerique tamen editores *γινώσκειν καλῶς.* Iterum histriones integram sententiam permutarunt ut sonum sigmatismi odiosum expellerent[73]).

Schol. Eur. Med. v. 899: *παρεμπολῶντι — πόσει*] *ἰδίως οἶν εἴρηκε πόσει ἀντὶ τοῦ πόσιος: οἱ δὲ ὑποκριταὶ ἀγνοήσαντες γράφουσιν ἀντὶ τοῦ πόσει ἐμοῦ, ὅπερ οὐ δεῖ.* Porson., Matthiae., Elmsley: *παρεμπολῶντί γ' ἀλλοίους πόσει* cum Aldina. — Dindorf., Pflugk., Bothe., *παρεμπολῶντος ἀλλοίους, πόσει* ex codd. Ita ab Euripide scriptum fuisse, docet scholiasta, qui histriones, quod *ἐμοῦ* posuerint pro *πόσει*, genitivum *πόσιος* supplendum esse nescientes, reprehendit. — Omnibus his locis actores consulto

---

73) Cf. Schol. Eur. Med. v. 473: *πλεονάζει ὁ στίχος τῷ σ.* Plato et Eubulus comici eum perstrinxerunt, ut Scholiasta narrat.

interpolarunt poetam, invitis iis fortasse in sequentibus imputatur interpolatio.

Schol. Med. 149: *ἄϊες ὦ Ζεῦ*] *τὸ ἄϊες ὁ Δίδυμος ὡς πρὸς τὰς τοῦ χοροῦ φησὶ λέγεσθαι ἠκούσατε, καὶ οὐ πρὸς τὸν Δία· ἐν. ᾔδει οὖν τὸ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς· τοῦτο δὲ Ἀπολλόδωρος τῆς Μηδείας φησὶν, ἀπὸ δὲ τοῦ ἰαχὰν τοῦ χοροῦ, ἵν᾽ ἔχῃ λόγον τὸ κἀπιβοᾶται Θέμιν εὐκταίαν Ζῆνά τε,* (v. 171) *τοὺς δ᾽ ὑποκριτὰς συγχέειν.* Explicatur scholium majore illo ad v. 171. Nescio quo jure Apollodorus Tarsensis de actoribus dicere potuerit: *τῆς ἀμφιβολίας αἰτίους εἶναι τοὺς ὑποκριτὰς, συγχέοντας τὰ χορικὰ τοῖς ὑπὸ Μηδείας λεγομένοις.* Qui vero? Possuntne Chori cantica cum partibus actorum confundi? An tempus illud, quo actores suo Marte edidissent fabulas atque interpolassent, respexerit Apollodorus? Equidem pro histrionibus loqui coactus sum: merumque interpretum commentum esse arbitror, qui nimis anxie, ut actorum verba sibi melius facilliusque responderent, curaverint. Quod quum bene fieri non posset, vel ab ipso Didymo verba *οὐρανία φλὸξ* miro modo explicata sunt[74]:

Schol. Med. v. 360: *οὐ γάρ τι δράσεις*] *Δίδυμος μετὰ τοῦτο φέρει τὸ σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ᾽, ἵν᾽ ἔστρωται λέχος, καὶ μέμφεται τοῖς ὑποκριταῖς, ὡς ἀκαίρως αὐτὸν τάσσουσιν·* et schol. Med. 383. *ἢ θηκτόν*] *ὧδε καλῶς κεῖται. Δίδυμος σημειοῦται, ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσιν ἐπὶ τῶν δυοῖν τὸ σιγῇ δόμους εἰσβᾶσα, καύσω ἢ σφάξω αὐτούς.* — Tribus locis idem versus aliquando positus erat: post v. 40, post v. 360, post v. 383. Ita veteres interpretes. Inter recentiores Valckenaer, Pierson, Matthiae post v. 40, Musgrave, Dindorfii, Elmsley, Bothe post v. 382 eum collocarunt. Didymi sententia nemini probata est. Immo Elmslejus ad v. 285 an pertineat omnino scholium dubitat. Cujus viri sententiam summo studio accipio. Versus bis dictus est ab Euripide, primum

---

74) De fontibus e quibus hauserit sua Apollodorus, v. infra. Didymus autem illius interpretationem cum Scholiorum collectoribus communicavit.

post v. 286, secundo p. 382, quod plerique volunt editores. Mirifice opinor vim tragicam auget, quod Medea Creontis verba quasi ironice repetit. Ac peccarunt histriones, si semel tantum versum recitarunt: sed nescimus an ter quaterve eundem posuerint [75]) aut poeta jubente, aut saltem memoriae errore. —

Denique alienos quoque versus ab histrionibus intermixtos fabulis esse scholiastae et grammatici referunt: ut schol. Eur. Orest. 1352: Ἀλλὰ κτυπεῖ γάρ] ἐξιών τις φοβεῖ· τοῦτο γὰρ ἔθος ταῖς θύραις· τούτους δὲ τοὺς τρεῖς στίχους (1352. 1354.) οὐκ ἄν τις συγχωρήσειεν Εὐριπίδου εἶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ὑποκριτῶν. Explicatio, quae sequitur scholiastae subabsurda est [76]), certe spurios esse versus nullo pacto demonstrat. Majoris momenti ea sunt, quae auctor argum. Eur. Rhesi affert: ἐν ἐνίοις τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος, πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ· καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτόν. ἔχει δὲ οὕτως: sequuntur undecim senarii, non ita mali, qui Euripidem dedeceant [77]). —

Postremo, ut hoc obiter moneam, aliquot praecepta, quae ad actorum artem pertineant et in scholiis Euripideis et in Sophocleis memorantur [78]). Atque ex omnibus his

---

75) Ita scholium illud ad v. 360 justum teneret locum: quippe quo versu: σιγῇ δόμους κτλ explicarentur verba ὧν φόβος μ᾽ ἔχει.

76) Chorumque, ubi actorem in scenam proditurum esse animadvertit, liberioribus rhythmis, quibus animi motus depinxerit, desinere, apud reliquos quoque Tragicos saepius reperies: e. g. in Aesch. Choephor. v. 730 Dind. Soph. Oed. Col. v. 1096.

77) Diversissimae de isto prologo sententiae Virorum doctissimorum: Valckenarii: Diatrib. p. 93 a. Hermanni: Opusc. III. p. 271. Carol. Lachmanni: de chor. systemm. Tr. Gr. p. 117. not., aliorum.

78) In Scholl. Eur. Phoen. 93. 588. 1335. 355. Med. 497. 869. Hecub. 1085. In Scholl. Sophocl. Aj. 334. 864. Electr. 164. 190. 823. Oed. Tyr. 41. 80. 147. Oed. Col. 1232. (ed. Elmsl.) Schol. Oed. Tyr. 147: ἔξεισιν ὁ ἱερεὺς πράξας σεμνὸν

locis nobis liceat paucis delineare, quales fuerint actorum, quas in trium tragoediae principum fabulis posuerint, curae.

Ac varias lectiones, quae a scholiastis in tres Tragicos commentarios describentibus commemorantur, maximam partem ab histrionibus originem ducere contendo. Secundum vero post histriones locum tenent vel cum iis una nominandi sunt scribae publici et librarii qui varia ratione apographa permutarunt ac permutando saepissime inquinarunt. —

Primum de histrionibus agamus. Atque egregie nobis auxiliatur Schol. Eur. Orest. v. 269; quippe quo certiores fiamus, quantum actores poetarum verba depravaverint [79]). Male enim ac negligenter pronunciabant integros versus vel singula verba, male adeo singulas literas, ita ut conjungerentur et contraherentur, quae disjungenda erant ac seorsim pronuncianda, contra ut disjungerentur ac distraherentur, quae ad idem pertinebant verbum, ad eandem syllabam. Plurimum autem vetustissimae [80]) scribendi con-

---

ἦλθεν, ἅμα δὲ καὶ ὑπὲρ τοῦ χώραν εἶναι ἑτέρῳ ὑποκριτῇ: simillimum praecepto illi Horatiano: in Art. Poet. v. 192, ubi v. scholiastas. Omnia ejusmodi praecepta per se satis nova videntur esse atque ab ipsis interpretibus ficta. Nihilque magis desideratur, quam perspicua doctrina de partium ac personarum antiquissima distributione: quum ea potissimum quaestio agatur: num, exceptis, ut par est, παραχορηγήμασι, tres tantum actores omnes fabulae partes, omnes personas in se susceperint? Certe quaestio ad tempus illud pertinet ab Olymp. 77. usque ad Olymp. 90. praeterlapsum. Quamquam Philoctetes Sophoclea, Ol. 92. acta, a tribus actoribus optime agi potuit. Cf. O Muelleri Aesch. Eumenid. p. 110. G. C. W. Schneider. l. l. p. 134.

79) Euripides voluerat: ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ: Hegelochus pronunciavit: ἐκ κ. γ. α. α. γαλῆν ὁρῶ. Non hoc solum Hegelochi peccatum, sed alia quoque similia publice enotata sunt, qua ratione v. infra.

80) Eam dico, quae non tam Alexandrinorum aetatem quam potius illam Euclidis archontis antecedit. Constat quidem, ipsos poetas docuisse fabulas atque exercuisse histriones; sed appa-

ditioni rationique tribuas: plurimum etiam ipsis librariis quos duplici ratione pro variarum lectionum praecipuo fonte atque origine habeas. — Scimus enim e scholio paullo ante laudato inquinatum esse ab histrionibus textum verborum: sed scimus quoque e scholiis supra citatis, hasce depravationes esse certa ratione enotatas. Ac sunt enotatae, nisi prorsus fallor, a scribis publicis, quos etiam ante legem Lycurgeam in theatro sedem habuisse verisimillimum est [81]). Nam Comici, qui aperta actorum vitia animadvertere poterant palamque perstringere, leviores mutationes pariter atque interpolationes temerarias non animadvertebant. Attamen actorum interpolationes non nisi post mortuos Tragicos in textum genuinum irrepserunt. Etiam hoc lex illa Lycurgea luculenter demonstrat; qua simul certiores fiamus, qualis fuerit et quanta vicissitudo actorum et scribarum [82]). Scriba igitur publicus, qui civitatis exemplum cum recitationibus actorum conferebat, horum additamenta nescio qua ratione conscripsit, aut in privati exempli margine aut, quod mihi verius videtur esse, in ipso publico exemplo. Unde colligas, quantam variarum lectionum farraginem illud exemplum, postquam Athenis Alexandriam migravit, illustribus criticis praebuerit [83]).

---

ret quoque histriones sua exempla in manibus tenuisse, saltem suas partes, ut vel vivis poetis praesertim τὰ διςέκφορα possent clam mutare aut omittere.

81) Monitores enim, qui graece dicuntur ὑποβολεῖς, actorum peccata enotare nequibant. cfr. Plutarchi Polit. praecept. c. 17. Meinekii Commentt. miscellan. p. 42.

82) Legis verba: καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραγιγνώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις. Notionem vocis παραγιγνώσκειν explicat Grysar: l. l. p. 7 sq. Fuisse autem scribarum officium, ut consignarent, in quo percassent actores, jam docet illud quod isti aliter non potuissent reprehendi vel multari, docet denique, quod nullo pacto memoriter tenere depravationes valuissent propter copiam fabularum per integrum diem actarum.

83) Quare ex hoc tempore praecipue criticam factitatam esse, infra demonstrare studui.

Veruntamen ipsi quoque librarii praeterquam quod aliorum interpolationes consignabant, fabulas Tragicorum vario modo interpolarunt. Quod egregie demonstrat schol. Eur. Phoen. 682: σοί νιν ἔκγονοι] γράφεται σῷ νιν ἐκγόνῳ κτίσαν, ἵν' ᾖ, τῷ ἐκγόνῳ σου, τῷ Κάδμῳ, αἱ θεαὶ κατέκτισαν τὰς Θήβας. γέγονε δὲ περὶ τὴν ἀρχαίαν γραφὴν ἁμάρτημα. ἐπ' ἄρχοντος γὰρ Ἀθήνῃσιν Εὐκλείδου μήπω τῶν μακρῶν εὑρημένων, τοῖς βραχέσιν ἀντὶ μακρῶν ἐχρῶντο, τῷ ε ἀντὶ τοῦ η καὶ τῷ ο ἀντὶ τοῦ ω. ἔγραφον οὖν τὸ δήμῳ μετὰ τοῦ ι δήμοι. μὴ νοήσαντες δὲ καὶ ὅτι κατὰ τὴν ἀρχαίαν γραφὴν καὶ δεῖ μετατεθῆναι τὸ ο εἰς τὸ ω μέγα, ἐτάραξαν τὸ νοητόν. — Duplici autem ratione librarii fabulas transcribebant aut dictante quodam aut non dictante. Utrobique eos nonnunquam falsum scripsisse hic visu illic auditu deceptos per se certissimum est. Ac praecipue illo tempore quo vetus scribendi mos solutus est, undique fabulae depravatae sunt. Quo pertinet praeter aetatem Euclidis archontis illa Aristophanis Byzantii: (quaeque per hujus aetatem exortae sint scripturae et lectionis varietates, liceat nobis una cum antiquioribus illis afferre). Ut igitur actores versus sive singula verba falso pronunciant, ita librarii, praeterquam quod, ut hoc denuo moneam, illorum peccata consignabant, simili ratione peccant. Quapropter, quid actoribus debeatur, quid librariis dijudicare difficillimum est. Afferam ergo brevi manu, quae e mala sedulitate sive actorum sive librariorum videntur exortae esse lectionis varietates. Atque ex Aeschylo notavi: Prometh. v. 3: ἐπιστολάς — ἐπιτολάς. v. 134. θεμερῶπιν — θερμερῶπιν. 353. φόνον — φόβον; παράορον — πανάωρον. 381. προθυμεῖσθαι — προμηθεῖσθαι. 459. σοφισμάτων — νοσφισμάτων. 560. κοινόλεκτρον — κοινόλετρον. Sept. ad Theb. v. 177. ὑπ' αὐτῶν — ὑφ' αὑτῶν. 223. ἔκηλος — εὔκηλος. 400. ὁμαίμων — ὁ δαίμων. v. 661. πετρῶν — πτερῶν. — Pers. v. 13. νέον — ἔον. v. 78. χρυσονόμου — χρυσογόνου. 295. ὅς τε — ὥστε. 526. πιστοῖς — πιστοὺς — πιστῶς. 561. ληφθέντες — λειφθέντες. 852. ἐπεκύρσαμεν — ἀπεκύρσαμεν. v. 909. θεότρεπτα — θεόπρεπτα. 1003. δι' αἰῶνος

τυχαὶ — δαίμονος τύχαι. Agamemn. v. 45. χιλιοναύταν — Ἴλιον αὐτῶν. 1149. ἄγωνα — αἰῶνα. Choephor. v. 140. ἀντικατθανεῖν — ἀντικατακτανεῖν. Eumenid. v. 66. πρέπων — πέπων. 792. σταλάγματα — στενάγματα. 298. ἀναίματον — ἐναίματον. —

E Sophocle: Ajac. v. 455. οὐχ ἑκόντος — οὐκ ἔχοντος. 1233. διωμόσω — διωρίσω. 1295. αὐτός — αὖθις. Electr. v. 111. πότνι' ἀρὰ — ποινὴ ἀρά. v. 272. αὐτοφόντην — αὐτοέντην. 375. γόων — λόγων. 451. τήνδε λιπαρῆ — τήνδ' ἀλιπαρῆ. 591. ἐπαινέσαιμ' ἄν — ἐπαινέσωμεν. 751. λαγχάνει — τυγχάνει. 925. δυσχερής — δυσμενής. 948. καὶ ποῦ σοι φίλων — καὶ σύ που φίλων. 985. μὴ 'κλιπεῖν — μοι λιπεῖν. 1175. γλώσσης — γνώμης. 1437. ὡς ἠπίως — νηπίως. — Oed. Tyr. 134. τήνδ' ἔθεσθ' ἐπιστροφήν — τήνδε θεσπίζει γραφήν. 153. πάλλων — πολλῷ. 194. ἄπουρον — ἔπουρον. 212. μονόστολον — ὁμάστολον. 906. φθίνοντα — φθίνων τά. 1321. ἐμὸς ἐπίπολος — ἐμοῖς ἐπὶ πόνοις. — Antigon. 140. δεξιόσειρος — δεξιόχειρος. v. 207. ἐξ ἐμοῦ — ἔκ γ' ἐμοῦ. 325. δεινά — δειλά. 340. παλλομένων — ἰλλομένων. 521. κάτω 'στίν — κάτωθεν. 1158. καταρρέπει — καταστρέπει. Oed. Col. 15. ἀπ' ὀμμάτων — ἀνομμάτῳ. 58. οἱ δὲ πλησίοι γύαι — αἱ δὲ πλησίον γύαι. 195. ἦ 'σθῶ — ἦ 'σκῶ. 204. τίς σ' ἔφυ — τίς ἔφυς. 1519. σῇ τε κείσεται — τῇδε κείσεται. 1662. ἀλύπητον — ἀλάμπετον. — Trach. v. 7. ὄκνον — ὄτλον. 105. ἄθλιον ὄρνιν — ἄλιον ὄρνιν (immo fortasse Ἁλίου ὄρνιν). 675. παθεῖν — μαθεῖν. 783. ἐνδατούμενος — ἐμματούμενος. 825. παλαιφάτου — παλαιφοίβου. 903. κοῖλα — κοινά. 1007. δύστανον — ὕστατον. 1277. ἀπ' οἴκων — ἐπ' οἴκων. Philoctet. v. 425. κἀκ ἐξήρυκε — κἀξεκήρυξε. 425. γόνος — μόνος. 426. Δι' αὔτως δειν' ἔλεξας — δύ' αὐτὼ δ' ἐξέδειξας. 444. ἐών — ἐώη. 954. αὖ θανοῦμαι — αὐανοῦμαι. 1052. χρῄζων — κρείσσων. 1092. πτωκάδες — πτωμάδες — πτωχάδες, πρωτάδες, δρομάδες. 1199. αὐταῖς — αὐγαῖς. 1401. λόγοις — γόοις.

Ex Euripide: Phoen. 185. κομίζοις — κομίζεις. 263. οἴσεται — εἴσεται. 547. ἔχων — ἔχειν. 797. ἐνοπλίον —

εὔοπλον. 1090. ὑπερθανών — ὑπερβαλών. 1240. στρατηλάτας — στρατηλάταις. 1362. μονόμαχον — μοναμάχου. 1439. ὑγράν — λυγράν. 1733. αὐδῶν — ἀοιδαῖν. Med. 487. φόβου — φόβον. 1213. γνώσῃ — γλώσσῃ. Hippol. 272. ἥκει — ἥκεις. 816. κατακονά — καταφθορά. Alcest. 812. τύχας — πύλας. Hecub. 146. ὀρφανόν — ὀρφανάν. 211. ἐκύρησε — ἐκήρυξε. 646. δίσκμον — δίδυμον. 1132. στολίσματος — στοχίσματας. — Orest. 816. τίνων — τιμιῶν. 952. καλλίπαις — καλὴ παῖς. 1036. δόμων — γόνον. 1180. τάφον — τάφου. 1320. ἀρ' εὐφημεῖ — ἀνευφημεῖ. 1460. τρικόρυθος — τρικόρυφος.

Quibus lectionis varietatibus statim eas subjungam, quae probabiliter aut ab ipso Aristophane Byzantio profectae aut proximo post eum tempore exortae sunt. — Atque ex Aeschylo affero:

Prometh. 428. Ἄτλανθ' — Ἄτλαν θ'. 563. ποινᾶς — ποινάς. Sept. adv. Theb. 177. ὑπ' αὐτῶν — ὑφ' αὐτῶν? 432. αἴθων — αἶθον? 482. βακχᾷ — βάκχα. Persae 131. νέον — ἔον. 33. Πηγασταγών — πηγὰς ταγών. 295. ὥς τε — ὥστε. 532. ὀλέσας — ὤλεσας. 692. τ' ἀνταῦθα — τἀνταῦθα. — Choephor. 694. ἐγγράφει — ἔγγραφε. E Sophocle: Ajac. v. 402. ἀγηλατήσειν — ἀγηλατήσειν. 831. τοσαῦτά σ' ὦ Ζεῦ — τοσαῦτά σοι, Ζεῦ? 1056. ἔλοι δόρει — ἐλοιδόρει. Electr. 451. τήνδε λιπαρῆ — τήνδ' ἀλιπαρῆ? Oed. R. 906. φθίνοντα γὰρ — φθίνων τὰ γάρ? 1578. αἰὲν ὕπνον — αἰένυπνον. Antigon. 454. ὥστ' ἄγραπτα — ὡς τὰ γραπτά. 1136. ἐπισκοποῦντ' ἀγυιάς — ἐπισκοποῦντα γυίας. Trachin. 24. ἥμην — ἥμην. 144. χώροισιν αὐτοῦ — χώροις ἵν' αὐτοῦ — χ. ἵν' αὐτοῦ. 53. τόσον — τὸ σόν. 393. ἔχοις ἂν γνώμα — ἔχοις ἄγνωμα. 353. θέλοι — θ' ἕλοι. 497. μέγα τι σθένουσ' ἁ Κύπρις — μ. τι σθένουσα Κύπρις — μ. τι σθένος ἁ Κ. 896. ὁ νέορτος — ἀνέορτος. Ex Euripide notavi Med. 1259. συνῳδά — ξύνῳδα. Phoen. 196. χώρει — χωρεῖ. 246. φοίνισσα χώρα — φοινίσσα χώρα. 349. ἐσιγάθη σᾶς — ἐσιγάθησαν. 470. δεῖ τ' ἄνδιχ' — δεῖ τἄνδιχ. 529. ἐμπειρία — ἐμπειρίᾳ. 622. κτάνων — κτανών. 688. ἀμῦναι τᾷδε — ἀμύνεται. 845. ἐξωρμίσω —

ἐξόρμισαι. 852. πάρειμι — παρεῖμαι? Orest. v. 325. ᾧ — ὅ. 512. ἀμύνω — ἀμυνῶ. 1560. ᾗ δεῖ — ἤ δεῖ. —

Cuinam tandem tempori has adscribas lectiones sumtas ex Aeschyl. Prom. 600. νήστησιν — νήστισιν. Sept. Theb. 340 λεληιμμένοι — λελιμμένοι. 488. δύσχιμον — δύσχειμον. Pers. 760. μητρολόφου — μιτρολόφου. Sophocl. Oed. Col. 467. κατέστιψας — κατέστειψας. Trach. 570. ἐὰν πύθῃ — ἐὰν πίθῃ. Ajac. 1056. ἕλοι δορὶ — ἐλοιδόρει. Philoctet. 25. ἴῃ — εἴη. Eur. Phon. 725. σφαλῆς, σφαλείς. Orest. 1028. θηγεῖν — θιγεῖν. — ? Num demonstrant, qualis fuerit pronunciatio veterum Graecorum an pertinent potius ad multo recentius tempus? Rem intactam relinquere malo [84]).

At in omnibus his locis aut negligentia recitantium et scribentium aut memoriae errore aut alio nescio quo casu verba permutata, transposita, disjecta, contracta esse et sonorum similitudo demonstrat et ipsa rei natura docet. Quod hodieque conspicere saepenumero possis. — Verumtamen, si contenderem, omnes quas attuli lectionis varietates tantum antiquissimis imputandas esse librariis actoribusve, nimiae temeritatis merito coarguerer. Sunt enim quaedam lectiones glossematum instar interlinearium in variis Codd. perscriptae. Aliae lectionis varietates pluribus explicatae, nonnunquam defensae sunt. Posteriores hae prioribus illis haud dubie multo sunt antiquiores: contra glossemata illa, ut nunc se habent, satis recentem produnt originem: neque in uno eodemque Cod. exstant: sed ab nostri aevi editoribus undique congesta sunt. — At poterant quoque eadem glossemata eadem ratione descripta sexcenties esse: quemadmodum ea loca, quibus πολλὰ ἀντίγραφα vel ἔνια vel τινά etc. memorantur jam ex antiquioribus commentariis desumta esse credas. Sub πολλὰ ἀντ. autem scholiastae, ut doctrinam simulabant, ita saepius unum tantum alterumve intelligebant. Tam incertae fateor aetatis

84) Quibus apposuimus locis signum?, de iis jure dubites an ad prius tempus pertineant. Similiter ea loca, quae supra eodem signo ornavimus, eodem jure ad posterius tempus videntur pertinere.

illae lectionis varietates sunt: attamen ubi de antiquissimis interpolationibus loquimur, illarum lectionum certe mentionem facere nos oportet.

Deinde histriones, qui in vv. modo laudatis inviti ut apparet peccarunt, in aliis rebus consulto propriaque Minerva poetae auctoritatem neglexerunt, quum suae ipsorum indoli indulgere quam poetae morositati mallent. Emendabant τὰ δυςέκφορα praesertim apud Euripidem; et Quinctilianus, modo verum sit ejus de correctis Aeschyli fabulis judicium, singula verba ab histrionibus faciliora ad pronunciandum reddita esse, significare videtur. Librarii autem saltem in hac re de suo nihil posuerunt atque omnino persuasum habeo, antiquissimos librarios summa qua fieri potuit fide fabulas transcripsisse. Itaque ubi a scholiastis narratur, hunc illum versum in quibusdam apographis non reperiri, hanc jacturam si non solis actoribus, certe tamen criticis imputabimus. Quo simul nihil aliud demonstratur nisi multitudo ac varietas τῶν ἀντιγράφων. Quae huc pertinent scholia, haec sunt. Schol. Eur. Rhes. v. 41. οὐκ ἔστιν Εὐριπίδου ὁ στίχος. Schol. Orest. 629. ἔνιοι δὲ ἀθετοῦσι τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς στίχον. οὐκ ἔχουσι γὰρ τὸν Εὐριπίδειον χαρακτῆρα: item v. 1352 tres versus aperte dicuntur histrionum magis quam ipsius Euripidis esse. E quibus colligas, versus illos in quibusdam ἀντιγράφοις sive saltem in uno non esse ab interpretibus repertos: atque iterum apparet, interpretes comparatis inter se variis apographis perquam sedulo, ut poetam quavis ratione purgarent, curasse. Namque in Euripideis scholiis prae reliquis, quae talem interpretum curam significant, saepius occurrunt: e. g. Schol. Eur. Phoen. 375: ὁ στίχος οὗτος ἔν τισιν οὐ φέρεται et 1073: ἐν πολλοῖς ἀντιγράφοις οὐ φέρεται οὗτος ὁ στίχος et 1225 οὗτος δὲ ὁ στίχος ἐν πολλοῖς ἀντιγράφοις οὐ φέρεται. Schol. Androm. 1230: ἐν τοῖς πολλοῖς τῶν ἀντιγράφων οὐχ εὕρηται ὁ στίχος. E Sophocleis scholiis huc quadrare videntur Schol. Ant. 45, Oed. Col. 237, Ajac. 841 [85]). In Aeschyleis passim memorantur παλαιὰ βιβλία,

---

85) Non ipso quidem verbo memorantur ἀντίγραφα: atta-

ut sept. Theb. v. 953. Pers. 687: ἐν πολλοῖς καὶ καλοῖς βιβλίοις. Attamen Euripidea prae reliquis ejusmodi animadversionibus pollent. Quodsi omnia haec scholia aut ad ipsum Didymum aut ad antiquiores interpretes referenda sint, jam antiquissimum apographum ex hoc cognoscas Scholio ad Eur. Hecub. v. 329: τὸ πέφυκ' ἀεὶ ἔν τινι λίαν παλαιῷ τῶν ἀντιγράφων εὕρηται, ὃ καὶ μάλιστα κρεῖττον εἶναί μοι δοκεῖ τοῦ τε πεφυκέναι καὶ τοῦ πέφυκεν ἀεὶ καὶ ἔτι τοῦ πέφυκέ τι, ὃ πλανώμενοί τινες ἔθεντο: e cod. Barocc. 74. Ad eundem versum alia aliorum Codicum scholia lectionis varietates enumerant. Quae quidem varietates illis procul dubio adnumerandae, quas supra ut antiquissimas congessi: quumque verisimillimum sit, illud ἀντίγραφον Hecubae λίαν παλαιὸν vel Lycurgei exempli esse particulam [86]), ipsae quae ex hoc depromtae lectionis varietates sunt, aliorum supra laudatorum eximiam vetustatem demonstrant. — Satis dictum de histrionibus ac librariis. Ultra enim Lycurgi aetatem progredi non possumus, ubi de antiquissimis apographis quaeritur. Histrionum autem interpolationes nisi librarii iis aequales eas consignassent, ad nostram usque memoriam non pervenissent. — Postremo monere fere superfluum est, ante aetatem Lycurgi oratoris atque Aristotelis Stagiritae de justis Tragicorum interpretibus nondum posse sermonem esse. Quamquam de tragicis rebus passim memorantur scriptiones. — Ipse Sophocles peculiarem de Choro dissertationem contra Thespidem

---

men sermo de spuriis versibus est, de quibus judicare interpretes nequibant, nisi variis apographis in judicium vocatis. Haec enim fere unici fontes etiam ἀθετήσεως. Quod in plerisque scholl. ad Didymi auctoritatem provocatur, similia scholl. ad eundem grammaticum referenda esse demonstrat. — Cfr. E. Wunder. de scholiorum in Soph. Trag. auctoritate: p. 15, p. 20, p. 28 sq. — Sed v. infra.

86) Exemplum Lycurgi oratoris ab illustribus Alexandrinis usurpatum esse, A. Boeckhius censet l. l. p. 13. Quae viri illustris sententia certissima, ut ad rem alioquin satis incertam majore fiducia aggrediamur, efficit. Certe in historia Tragoediarum graecarum conscribenda maximi debet haberi.

et Choerilum scripsisse a Suida dicitur [87]). Deinde Glaucus quidam, qui *ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων* ab auctore argumenti ad Persas citatur, post Fabricium, Harlesium, alios inter novissimos etiam Blomfieldio [88]) Rheginus ille videtur esse: cujus *περὶ ποιητῶν* librum nonnulli suspectum habuerunt [89]). Si genuinus fuerit Glauci Rhegini liber, cujus pleniorem titulum affert Plutarchus [90]), scriptionem istam de Aeschyli mythis particulam majoris illius de poetis operis fuisse censeas. Attamen, si ipsa argumenti verba conspicimus [91]), non tam historici ea esse quam critici agnoscemus. Criticam autem mythorum a poetis tragicis tractatorum disquisitionem quinto a. Chr. n. saeculo non concedo. Quare dubius haereo utrum Glauco cuidam multo recentiori illum tribuam librum an potius nomen *Γλαῦκος* mutem in *Γλαύκων* [92]).

---

87) S. v. *Σοφοκλῆς*. Fortasse Sophocles in isto libro ea, quae ipse in Choro tragico novasset, defenderit.

88) Blomfieldii Praefat. ad Aeschyl. Persas: p. III.

89) Auctor V. X. oratt. in vita Antiphontis p. 224 Hutten. *εἰσὶ δ' οἱ τὸ Γλαύκου τοῦ Ῥηγίνου περὶ ποιητῶν βιβλίον εἰς Ἀντιφῶντα ἀναφέρουσιν.*

90) In libro de Musica citatur *Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας ἐν συγγράμματι τῷ περὶ ἀρχαίων ποιητῶν καὶ μουσικῶν*. Cfr. Vossium Historic. Graec. p. 437. Jonsium Script. Hist. Phil. I. c. 4 s. 4. Burette in Mém. de l'Acad. des Inscr. I. p. 238.

91) Argum. Aesch. Pers. *Γλαῦκος ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων, ἐκ τῶν Φοινισσῶν φησι Φρυνίχου τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι. ἐκτίθησι δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ δράματος ταύτην:*

Τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων.

92) Glauconem dico Tarsensem, Homeri, ut videtur, interpretem (v. Schol. Ven. Hom. Il. α. 1.), de quo cfr. Fabric. Bibl. Gr. I. 512 Harl. Fortasse idem est cum eo, cujus *Γλώσσας* laudat Athenaeus XI. 480 f.

Caput secundum.

Si quid priori capite justo brevius ac festinantius tractavi, facile a VV. DD. modo ad disputationis, quam institui finem respiciant, veniam impetrabo. Ope enim scholiastarum in tres Tragicos aliosque scriptores Graecos superstitum, ope lexicographorum reliquorumque quotquot huc pertinere scirem auctorum Graecorum, quum historiam Graecorum in Tragicos Interpretum conscribere in me susciperem, illorum quos nominavi auctoritatem me sequi oportebat. Quapropter quum scholiastas actorum interpolationes, *ἀντιγράφων* discrepantias saepe viderem recordari atque enotare, hujus potissimum rationem habui interpolationum generis, quod plerumque tantum ad singula versuum verba pertinet, rarius ad integros fabularum versus. Rarissime autem scholiastae antiquos interpretes plures deinceps versus suspectos habuisse referunt. Jam mihi qui unumquemque scholiastam unum tantum fabularum exemplum, tantum unum commentarium usurpasse persuasum habeam, videtur scholiasta ex antecedentis scholiastae copiis pro arbitrio excerpsisse ut haec de interpolationibus quibuscunque dicta praetermitteret, illa nescio quo fato transcriberet. Unde quam nude scholiasta ad Soph. Antig. v. 45 narrare potuerit: *Δίδυμος δὲ φησὶν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι*: facile intelligas. Quam multae veterum interpretum de locis fabularum interpolatis sententiae illa ratione perierint! — Quae quum

ita se habeant loca enotare nostrum duximus quae hodieque interpolationis antiquae specimina exhibuisse viderentur. Neque ergo recentissimorum interpretum disquisitiones pluribus enarrare meum erat, ubi de antiquissimis interpolationibus, quae probabiliter saltem ipsis scholiastis antiquiores essent, loquuturus eram. Deinde vero temerarias actorum et librariorum curas propterea tetigi ut historiam fabularum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis saltem ex aliqua parte, bene sciens universam fabularum historiam a memet conscriptum non iri, inde ab ipsis auctorum temporibus inciperem. — Ceterum e quibus graeci dramatis historiae eam partem, quae de ipso fabularum contextu agat, componere possimus, tam pauca nobis suppeditant Graeci, ut quod nonnulla quaedam abrupte justoque brevius dixerim, non magnae profecto negligentiae coargui posse videar.

Quibus praemissis ad primam interpretationis Graecae aetatem describendam me converto. —

Jam ante Lycurgi atque Aristotelis tempora de justis trium Tragicorum interpretibus sermo nondum potest esse. Lycurgi autem, illustris Atheniensium oratoris, cujus primo capite saepius meminimus, iterum mentionem facere nosmet propterea oportet, quod publicum illud fabularum exemplum jussu Lycurgi confectum maximo in honore apud omnes interpretes Tragicorum erat, quod ipsa lex Lycurgea primam omnium ut videtur fabularum editionem nescio an recensionem quoque parari jussit. —

Latam esse legem istam circa Olymp. CIII. ingeniose censet Boeckhius [93]). — Ipsam legem explicuerunt complures, inter quos novissimo, quem scio, Grysario [94]) prae reliquis assentior. Ac fidem narrationi apud auctorem X. vitt. oratorum interpretum, quot scio, nemo abrogavit [95]). At profecto mireris, quod de tribus solummodo tragicis

93) l. l. p. 14.

94) l. l. p. 7 sqq., ubi v. quas affert vir doctus aliorum virorum sententias.

95) Et testatur Photius cod. 268 p. 497. Ad theatrum a Lycurgo videlicet exaedificatum perfectumque haec attinent

sermo sit, quum alii quoque saltem commentariis illustrati a Grammaticis sint [96]); qui pejores poetas prae meliorum copia haud dubie negligebant. Neque tamen hoc me movit, qui infitiarer fidem historicam legis Lycurgeae. Immo documento apparet esse, ut praeter trium tragoediae principum fabulas reliquorum illae semel tantum doctae fuerint neque postea iterum a populo flagitatae.

Verum circa idem tempus, quo lata lex illa fuerit, artis grammaticae studia initium capiunt: illius videlicet grammaticae, quae secunda vocatur a Schol. Dionys. Thracis [97]). Estne igitur apographum illud propter Lycurgeam legem factum illius specimen grammaticae artis, ἧς τέλος τὸ εὖ γράφειν? Quaeritur omnino, num per Lycurgum oratorem sive jubente illius lege recensio dramatum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis omnium facta sit? tum, si quidem facta re vera est, quot et quaenam dramatum exempla collata fuerint. Apparet recensionem justam factam esse non potuisse, nisi ad minimum ad manum editoribus bina superstitum fabularum exempla fuissent. Attamen, quod jam supra suspicabar, non verisimile est, ultra gentem poetarum histrionumque agmina singularum fabularum exempla amplius propagata fuisse. Quam quidem sententiam refutare licet nulla coactus sim probabili ratione, cogor nihilominus de duplici fabularum serie, cujus altera in poetarum ipsorum iisque proximorum, altera in histrionum manibus versata fuerit cogitare. — Utramque modo recensionem factam esse demonstrare posses, ab editoribus adhibitam

---

verba: πολλὰ δὲ καὶ τῶν ἔργων ἡμιτελῆ παρειληφὼς εἰς τέλος προήνεγκε. Testatur etiam Harpocration s. θεωρικά: ubi laudatur Philinus ἐν τῇ πρὸς Αἰσχύλου καὶ Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου εἰκόνας.

96) Ut Jon Chius ab Aristarcho aliisque, quos v. ap. Athenaeum. De canone Alexandrino taceam, quamquam Bernhardium (Gr. Litt. Gesch. p. 136) non sequar.

97) Schol. ad Dionys. Thrac. Gram. in Bekkeri Anecd. p. 729: Ἡ δὲ περὶ τὸν Ἑλληνισμόν, ἥτις καὶ δευτέρα ἐστίν, ἀρξαμένη μὲν ἀπὸ Θεαγένους (Welckerus: Θεαγένους sc.

esse, summo jure conjiceres [97]). Sed, quidquid accipiemus, possumus etiam h. l. duplicem fabularum recensionem ab ipsis poetis profectam non esse demonstrare. Etenim si ipsi poetae fabulas bis vel pluries docendas semper novis additamentis atque interpolationibus renovassent, appareret opinor aut primam editionem a secunda, secundam a tertia esse exstinctam sive poeta curante sive delente tempore; aut Lycurgum pro arbitrio illam neglexisse, hanc vero in publicum civitatis exemplum recepisse; aut e variis illis editionibus compositam ab eo esse singularem eamque novam fabulam; aut denique omnes ejusdem nominis argumentique fabulas conjunctim in idem civitatis exemplum esse transcriptas. E quibus *ἀπορίαις* quaenam tibi, qui duplices defendis recensiones, probata erit? Profecto nulla opinor nisi ea servatam fuisse utramque recensionem, utramque in publicum exemplum receptam. Sed prorsus omnibus caremus disertis testimoniis: ac frustra quaeremus retractatae tragoediae specimina vel fragmenta. Nunc vero nullo verbo dicitur, collata esse jussu Lycurgi singula exempla si quae privatorum virorum fuissent. Immo Lycurgum eumve qui publicum apographum curaverit tantum exempla, quae ab ipsis poetis sive saltem ipsorum auctoritate confecta sunt, a gente illorum, a qua servabantur, impetrasse persuasum habeo. Quodsi recte haec conjecero de critica recensione nondum potest sermo esse. Apographon igitur summa qua fieri potuit fide confectum est una opinor cum additamentis illis atque interpolationibus histrionum,

---

τοῦ 'Ρηγίνου) τελεσθεῖσα δὲ παρὰ τῶν Περιπατητικῶν, Πραξιφάνους (Bekkerus: *'Εξιφάνους*) *τε καὶ 'Αριστοτέλους. καὶ τῆς μὲν τέλος τὸ εὖ ἀναγινώσκειν, τῆς δὲ τὸ εὖ γράφειν.* Cfr. J. Classen: de grammaticae graecae primordiis 1829, p. 6 sq. 8, 71 al. Welckerus in Nov. Mus. Rhen. I. p. 156 sq. et quos laudat uterque veteres scriptores. Quis Hexiphanes fuerit, indagare non queo. Welckeri emendatio: *Θεαγένους* perquam probabilis est.

98) De pluribus exemplis singularum fabularum etiam Grysar. cogitat l. l. p. 7.

quae nescio qua ratione sive a fabularum auctoribus sive a scribis publicis in margine exempli (quod, quomodo fieri potuerit non recte fateor intelligo) aut in singulari libello consignatae erant. Sed de his jam supra sententiam meam exposui. Ac satis habeo, quot et quantis scripturae discrepantiis nova editio pollere et potuerit et debuerit, monere. Quod scribendi conditio ac natura docet, quae etiam maximam scribentis fidem fefellerit. Nulla enim signa, nulli accentus neque interpuncta: ne novarum quidem literarum usus facilis. — Hactenus de ipsius apographi natura [99]).

Lycurgea lex contra histrionum interpolationes valebat. Apparet autem, eam solis Athenis vim habuisse. Histriones enim, qui ab Athenis in alias regiones transferebant fabularum studium docendarum, nulla lege coerciti erant [100]). Athenis quoque protagonista in poetae vices successit, ubi demortuorum poetarum fabulae doctae sunt: certe maxima in recitandis versibus vel ediscendis libertate fruebantur [101]). Quae quidem libertas lege cohibita est: ita ut actorum peccata accurate consignarentur. Contra e peregrinorum interpolationibus, licet usi suis exemplis sint, aliquid superesse, quis demonstret? Ita Athenae unicus fere fons, unde nostra hauriamus.

Historiam illustrium posterioris temporis actorum diligenter conscripsit Grysar [102]). Fere omnes interpolatoris

---

99) De tempore illius, licet Boeckhium V. S. sequutus sum, infra, ubi de Aristotele exponam, aliam proferam sententiam.

100) Cfr. Grysar. l. l. p. 29.

101) Gens enim poetarum trium vel legis Lycurgeae aetatem superavit, ita ut τὸ διδάσκειν re vera penes ipsam remaneret. Nihilominus eadem lex videtur significare, etiam extra auctorem gentem ab alienis hominibus fabulas doctas esse. Certe post latam legem τὸ διδάσκειν quasi civitatis factum est officium. De trium poetarum gentibus, vide quae sagacissime Boeckh. exposuit l. l. p. 31 sqq. al. et vitt. auctores tum veteres tum recentiores. —

102) L. l. p. 35 sqq. Quare eam denuo tractare nolui. Non-

vel falsarii, nemo, quantum scio, interpretis meretur nomen. Neque tamen, ubi interpretum historiam conscribimus, illorum memoriam negligere debemus.

Jam vero ad singulorum interpretum historiam me confero conscribendam. Atque ita rem agam, ut, quorum nota omnibus neque addubitata vita aetasque aut ubi novi meliorisve nihil potui invenire, eorum tantum merita quae in tres Tragicos habuisse videantur, adumbrem. Ceteroquin etiam de vita quorundam grammaticorum atque interpretum pauca afferam. — Tum, quid de universae hujus periodi indole judicem ac natura et initio hujus scriptionis memoravi atque infra paucis denuo delineabo. —

Peripatetici primi sunt trium Tragicorum interpretes, primi inquam qui interpretum nomen sibi vindicent [103].

Aristoteles Stagirita non uno loco nominandus est [104]. — Operam, quam vir ille prae reliquis summus Tragicorum fabulis impenderit, bipartitam fuisse, atque historicam alteram, alteram aestheticam facile demonstres. Num utrique interpretandi rationi etiam critica accedat sive potius accesserit, posthac videbimus. — Inter historicae interpretationis specimina illud numero opus, quod inscriptum fuit: *Διδασκαλίαι*. — De monumentis didascalicis deque operibus διδασκαλιῶν permulti scripserunt [105]. Equidem ita de didascaliis agam, ut primum de monumentis didascaliarum disseram deque operibus didascalicis antiquissimis: secundo de argumentis, quae hodieque legimus, exponam, quomodo ex antiquis illis operibus exorta probabiliter sint.

---

nullos actores etiam Bibliothecae Graecae auctores in Catalogo Tragicorum deperditorum (Vol. II: ed. Harl.) afferunt.

103) Omnino omnis apud Graecos interpretandi doctrina a philosophis originem ducit. Primi grammatici philosophi sunt.

104) Vitam summi philosophi optime me docuit A. Stahr libro: Aristotelia, Vol. I.

105) Loquor de recentioribus scriptoribus Casaubono, J. G. Vossio, Menagio, Jonsio, Wowero, Dodwello, deque recentissimis Hermanno, Boeckhio, Rankio, aliis. Quorum omnium sententias suis locis afferam.

Διδασκαλίαι, de quibus agimus, profecto nihil sunt nisi documenta et monumenta historica acti certaminis dramatici: quae criticis pariter atque exegeticis additamentis vel adnotationibus prorsus caruerunt. Plerique opera didascalica cum genuinis monumentis didascalicis confundunt: atque adeo de falsa ipsorum monumentorum fide loquuntur [106]). — Quapropter etiam formam vetustae didascaliae delineare est difficillimum: optime eam Boeckhius reddidit [107]). Quaeritur num diversa fuerint monumentorum didascal. genera? Duplicia fuerunt acti certaminis documenta, altera poetae, altera chorago sacra. *Πίνακες* sunt *διδασκαλιῶν* monumenta, *τρίποδες* choragiorum [108]). Utrumque monumentorum genus in theatro collocatum esse ac servatum, luce clarius est [109]): item utrumque statim post peractum unumquodque certamen exstructum esse atque illo loco depositum [110]). Quare utrumque neque critica neque exegetica supellectile indigebat. — Illud per se patet, solis Athenis servata esse *διδασκαλιῶν* monumenta: neque ea ab Athenis in aliam urbem fortasse Alexandriam deportata esse verisimile est. Itaque, qui genuinas didascalias

---

106) Vide, ut alios taceam, Hermannum V. S. in Opuscull. III. p. 264 sqq. 266, 273.

107) Corp. Inscr. I. p. 351.

108) Sequor Boeckhium l. l. Nam quod ille nobiscum communicat monumenti didascalici fragmentum (n. 231), saltem *πίνακας* fuisse didascaliarum monumenta videtur demonstrare. Certe tripodibus, quantum colligere possum neque fabularum neque poetarum certantium, uno excepto, inscripta nomina erant. Quamquam choragos etiam tabulis usos esse in victoriae memoriam, testari videtur Plutarchus Themist. c. 5. — Cfr. Boeckh. C. J. I. p. 342 sqq. et Schneider. l. l. §. 150, p. 123 sqq. et §. 174 p. 171 sqq.

109) Rankius (Vit. Aristoph. p. CLIV.) etiam chartacea fuisse monumenta eaque ab Aristotele usurpata contendit.

110) Quare singularum fabularum cognomina, quae hodieque exstant, posteriorum Grammaticorum esse additamenta, verissime dixit Boeckh. l. l. p. 350: ubi de utraque Sophoclis Ajace disserit. Vid. etiam supra.

colligere et describere voluerint, eos ipsis Athenis per aliquod tempus commorari oportuit. — Verum monumenta illa, dum ipsi poetae floruerunt, paene neglecta, opinor, a Graecis sunt: eorumque fides notissima ac certissima non potuisset addubitari. At postquam illustres poetae dudum supremum obierunt: tum coacti opinor Athenienses erant aetarum haec fabularum testimonia colligere. Aut enim neglecta ea esse patet scriptoque Aristotelico forte fortuna in lucem producta, aut propter ingentem multitudinem, qua oneratum esset theatrum, in ordinem quendam, quo melius conspici possent, redacta. Ceterum populus, ut e lege Lycurgea colligas, illustres dramaticos quam plurimum venerabatur. Didascaliarum autem multitudo praecipue a poetis mediae novaeque Comoediae etiam atque etiam adaucta est [111]). —

Atque Aristoteles primus quantum scio fuit, qui opus *Διδασκαλιῶν* conscripserit. Haud raro laudatur *Ἀρ. Διδασκαλίαις*: operisque specimina vel fragmenta complures collegerunt [112]). In omnibus locis opus simpliciter audit: *Διδασκαλίαι*. Attamen non solum inscriptiones, quae isto nomine utuntur, collegit, sed etiam *περὶ Διδασκαλιῶν* scripsit: i. e. inscriptiones istas suis animadversionibus, quas historicas fuisse et verisimile et necessarium est, illustravit. Locum enim in argum. Med. Euripid., quo Aristoteles *ἐν ὑπομνήμασι* una cum Dicaearcho laudatur, ad illius opus *Διδασκαλιῶν* pertinere contendo. — Monumenta summa fide transcripta ab Aristotele sunt, non solum, quae in tragicorum certaminum, sed etiam quae in comicorum memoriam exstructa fuerint [113]). Quonam tempore Aristo-

111) Vid. Athen. Deipn. VIII. p. 336 d.

112) V. Casaubon. ad Athen. VI. p. 235 e. Jonsium scr. Hist. Phil. I. 11, 63 cujus de opere Aristotelico judicium plerique jure refutarunt. Fabricium Bibl. Graec. II. p. 288. Boeckh. l. l. p. 350. Rankium p. 133 sqq. 144, 155 al. — Consulto h. l. ista fragmenta non attuli, ne pleraque bis afferem.

113) V. Schol. Arist. Av. 282, 1379. Ran. 330, 404. Schol. Platon. Apolog. p. 18. Harpocrat. s. v. *Διδάσκαλος*. Suid. s. v. *Ὄνου σκιά*.

teles istud opus conscripserit? Supra probavi Boeckhii de tempore latae legis Lycurgiae opinionem: nunc vero ubi fragmenta operis, reliquaque quae ad artem dramaticam spectant, scripta considero, publicum illud exemplum duce Aristotele descriptum esse facile suspicor. Dramatica philosophi studia, praeterquam quod Platonem dramaticae poesis et ipsum amantissimum audivit, omnium prima videntur fuisse. Quare ultra tempus a Boeckhio constitutum paullulum progredi cogimur; nihilque obstat quin circa Olymp. CV. et publicum illud exemplum et Aristotelis opus didascalicum scripta esse accipiamus. —

Ut vero procul omni dubio Aristoteles *Διδασκαλιῶν* opus confecit, ita post eum alios Graecos didascaliarum monumenta et collegisse et commentariis illustrasse nequit negari [114]). Namque post Aristotelem doctae fabulae, exstructa monumenta sunt. Quamquam non amplius novo studio didascaliae, quas ipse Ar. tractaverit, collectae sunt. At, ubi artis dramaticae aurea aetas magis magisque e Graecorum memoria remota erat, tum ipsum philosophi opus a Grammaticis illustratum est. Sine auctoris nomine

114) Qui novissime de didascaliis disputavit, Rankius Vit. Aristoph. p. 131—166, Aristotelem non integris monumentis usum esse contendit, sed excerptis duntaxat atque in usum suum conversis (p. 155); deinde idem opus omnibus posterioris temporis Grammaticis fontem fuisse mansisseque. Itaque Dicaearchum (p. 157). Callimachum (161) Eratosthenem, Aristophanem Byzantium (161) Carystium (164) partim nulla opera confecisse, *Διδασκαλίαι* inscripta; partim non novam monumentorum collectionem instituisse: sed omnes omnino Aristotelis copiis usos esse. Unde mirum est, ut hoc obiter moneam, quod Rankius, qui omnem Graecorum industriam Romam esse delatam bene narrat, de Attii didascaliis, modo illo graecas descripserit, Attii, dixit, fontes non aperti. — Quot omnino exemplis potuit scriptus esse Aristotelis liber? Historia artis scribendi artisque libros transcribendi valde obscura est. Certe virtutis gloriaeve libri nulla ratione habita, qui pluribus aliquando exemplis transcripti fuerint, eos prae reliquis servatos esse colligas. Inter omnes autem libros antiquissimorum Gram-

a Scholiastis Aristophanis aliisque laudantur Διδασκαλίαι[115]). Attamen quominus ubique ad Aristotelicum relegemus ejusmodi loca, vetat Athenaeus[116]). A quot tandem Grammaticis illustre philosophi opus potuerit usurpari? Ut enim proxime sequentes Grammaticos illius copiis usos esse concedas, quid quaeso de Cratete judices, quid de Carystio, ne dicam de Aristophane et Aristarcho? Namque Alexandrinos Aristotelis librum pervolvisse propterea verisimile est, quod una cum publico isto fabularum exemplo etiam Διδασκαλιῶν librum Alexandriam migrasse apparet. Aliter enim libri tam frequentem usum memoriamque explicare non queo. —

At Aristoteles aliorum quoque certaminum ut Pythicorum, Olympicorum annales conscripsit[117]). In quibus omnibus libris historicas res tractaverit; historicas pariter atque aestheticas in sequentibus: de poetis, de musica[118]). — Aesthetica tractant ποιητικά[119]); liber περὶ τραγῳδιῶν iterum utrumque interpretationis genus videtur exhibuisse.

---

maticorum commentarii rarissime transcripti ac pessime servati sunt.

115) Cfr. Schol. Aristoph. Nub. 542. Ran. 67. 1118. 1025. 1053. 1055. Argum. Sophocl. Ajac., Oed. Tyr.; Argum. Eur. Rhes.; Argum. Aristoph. Pac. — Schol. Nub. 549. — V. Rankium ll. ll. qui ad Aristotelicum opus omnia haec respicere contendit.

116) Deipn. VI. p. 235 et VIII. p. 336. Vetat etiam Schol. Arist. Av. 1242; de quo v. contrariam Rankii sententiam l. l. p. 159.

117) Diogn. Laert. V. 26. Quo pertinet liber: Νῖκαι Διονυσιακαί, nisi cum opere didascalico arctissime conjunctus est?

118) Περὶ ποιητῶν α'β'γ' Diog. L. II, 22. III, 48. VIII, 57. Macrob. Saturn. V, 15; Athen. XI. p. 505 c. — περὶ μουσικῆς D. L. V, 26.

119) Modo libri pars fuerit tractatus quem hodie περὶ ποιητικῆς legimus: quem plerique e majoribus libris excerptum esse opinantur. — Sed vid. Hermannum Praef. Edit. et Graefenhan.

Peculiarem autem περὶ τραγῳδιῶν librum ab Aristotele scriptum esse et census scriptorum apud Diogenem Laertium docet, qui in numerandis operibus omiserit potius quaedam, quam de suo addiderit; et, Aristotelem isto libro Διδασκαλιῶν opus illustrasse per se verisimillimum est. Verumtamen si de integris operibus nullus dubitas, de numero singulorum librorum sive capitum jure dubites [120]).

Num denique criticorum Aristotelis studiorum specimina reperias? Nam, cui quidem sententiae magis magisque faveo, si ipse Aristoteles apographon illud publicum fecit, eum criticam factitasse perquam probabile videtur esse [121]). Praeterea laudantur ejus Ἀπορήματα Ἀρχιλόχου, Εὐριπίδου, Χοιρίλου ἐν βιβλίοις γ' atque Ἐξηγημένα κατὰ γένος β. κδ' [122]). — Attamen priusquam ad ipsa verba ars critica accessit, sententias obscuras variaque ratione explicabiles, quaeque aenigmatis instar solvendae essent, Grammatici explicare studebant atque enucleare. Quo quidem solvendi studio inprimis Homericorum Carminum interpretes floruisse notum est. Verum etiam Tragicorum interpretes ei indulserunt. Λυτικοὶ illi et ἐνστατικοὶ neque ipsas poetarum sententias faciliores reddere neque adeo verba permutare ausi sunt. Atque Aristoteles inter Tragicorum interpretes primus Ἐνστατικός, primus etiam, ut videtur Λυτικός. — Ita ne in opere quidem Ἐξηγημένων philosophus criticam factitavit. Neque adeo, ut fabulae Tragicorum criticae artis lege recenserentur, omnino opus erat. Sed de his jam supra disputavimus.

Ex omnibus his scriptis, quibus Aristoteles tam varia

---

120) De magnitudine librorum antiquissimorum disserere difficillimum: quum primum majora opera in libros distributa plerumque a posterioribus Grammaticis sint. Equidem, num ipse Aristoteles scripta sua in singulos libellos capitavé diviserit, me nescire ingenue fateor. Utut res se habet, aut liber didascaliarum immanis magnitudinis fuit, aut falsus est Diogenes.

121) Dio Chrysost. orat. 53: Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ τὴν κριτικὴν καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν κτλ.

122) Diogenes L. V, 26 et Anonym. Menagii.

ratione illustravit Tragicos, fere nihil superest. Neque scholia in tres Tragicos ex ejusdem commentationibus aliquid servasse constat. At reliqua philosophi scripta Tragicos, quorum omnium non uno loco mentionem facit, penitus cognitos eum habuisse luculenter ostendunt [123]).

Dramatica summi philosophi studia a discipulis ejus continuata atque exculta sunt.

E ***Theophrasti*** scriptis huc pertinent: *Πρὸς Αἰσχύλον α', περὶ μουσικῆς, περὶ ποιητικῆς α.* [124]). — Eum peculiarem de tragoedia librum scripsisse Fabricius propter Diomedem Grammaticum, qui ex Theophrasti libro definitionem tragoediae protulit, suspicatur. At illa philosophi sententia meliorem in libro de poetica arte locum habet [125]). — E Theophrasti commentationibus nihil superest. Citatur a Schol. Eurip. Hippolyt., ubi aliquot dicta illustrium philosophorum percensentur: ac post relata Critiae Pindarique de iis judicia additur Theophrasteum: *ὁ δὲ Θεόφραστος ὡς τὰ Σισύφου λεγόμενα καὶ Πιτθέως οἷον μηδὲν ἄγαν, μηδὲ δίκαν δικάσῃς.* — Quae quidem ad ipsa Euripidis verba explicanda bene faciunt [126]). — Ceterum commentariorum in Euripidem profecto nullum specimen. —

Dicaearchus Messenius opus didascalicum scripsit. Ut antiquiorum sententias praetermittam, recentiores ut Boeckhius, Naekius, Rankius peculiarem de didascaliis

---

123) Una sententia, quae Schol. Soph. Oed. Col. v. 701 affert bene in commentario, probabiliter in *ἐξηγημένων* libris exstare potuit: attamen certi quidquam proferre non queo. — Ceterum cfr. dramatum deperditorum fragmenta, e collectione Dindorfii, quo celerius de philosophi studiis dramaticis judicare possis.

124) Diog. L. V, 47 — 49.

125) Fabricii Bibl. Graec. II. p. 385. Diomed. Gramm. L. III. p. 484. Dudum Harlesius Fabricii opinionem refutavit.

126) A. Diogene Laert. laudatur etiam peculiaris *ὑπομνημάτων* liber, *ἱστορικῶν*, ni fallor; saepius illo tempore libri ejusdem nominis scripti. Commentarium in Euripidem fuisse nego.

librum scriptum a Dicaearcho esse negant [127]). — Ac sunt haud levia momenta, quibus nititur Naekii de Dicaearchi operibus judicium. Gravissimum illud fateor in Argumento Med. Eurip. exstat, ubi Naekius Elmsleji accepit emendationem: *Τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι, παρὰ Νεόφρονος διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασιν.* Num vero Dicaearchus quaeso melius in libro didascalico de furtis litterariis egerit quam in opere isto de victu moribusque Graeciae? Ad idem opus etiam reliqua, quae operis didascalici fragmenta esse arbitror [128]), hac fortasse ratione pertinerent: — Ubi enim de Atheniensium civitate disserit — cogito eum singulas quasque civitates percensuisse, — meminerit illustrium Tragicorum, meminerit Ranarum Aristophanis, quae proxime post mortuos Sophoclem et Euripidem tantam sibi conciliasset laudem ut denuo doceretur. — Deinde ubi Salaminis insulae historiam enarravit de antiquissimis heroibus, de Ajace non potuerit quin loqueretur: tum Sophocleae fabulae casu meminerit, eamque pro arbitrio nominaverit *Αἴαντος θάνατον*, genuinae inscriptionis nulla habita ratione. — Denique ubi Thebanorum mores depinxit victumque, iterum Sophoclea fabula illi in mentem venerit, simulque a deteriore poeta superatam esse bene meminerit. Verum est Dicaearchum de more Graecorum et consuetudine dramatum docendorum loqui debuisse; certum est, eum historicas res notasque narrationes universi status descriptioni adspersisse. Attamen quis sibi pauca illa loca quae didascalicam naturam profitentur, ad unum omnia servata esse, persuaderet, ut Dicaearchus nihil amplius de dramatis Graecis dixisset? Contra si pauca e simi-

127) Boeckh. C. J. I. p. 350: „Nec Dicaearchus singulari opere de didascaliis disseruit sed didascalica in alio libro nescio quo tractavit. — Naekius in Nov. Mus. Rhen. I. p. 40 sqq. p. 45. Ranke l. I. p. CLVII.

128) Argum. Soph. Ajac. et Oed. Tyr.; Argum. Aristoph. Ran. II. ed. Dind. — De aliis locis vid. Naekium, virum in primis eruditum.

lium farragine servata sunt, qualem tandem librum fuisse censeamus ad modum librorum Aeliani, Auli Gellii, Macrobii refertissimum narratiunculis? Nunc vero, si quae modo citavimus in libro περὶ τοῦ Ἑλλάδος βίου exstitisse concedimus, concedamus oportet etiam ὑποθέσεις istas quas Sextus Empiricus memorat in eodem libro habuisse locum. Illud tamen qui sibi persuadeat quemquam fore nego. Naekius, qui ὑποθέσεις ad scriptionem Dicaearchi περὶ μουσικῶν ἀγώνων pertinere, hancce iterum maximi π. τ. Ἑλλ. βίου operis partem fuisse contendit: singularem ὑποθέσεων librum non exstitisse etiam propterea arbitratur, 'quod Sextus Emp. tantum τινὰς ὑποθέσεις dixerit [129]). Verum aliter explico Sexti verba, quae adscribo: ταννῦν δὲ ἐπαρκέσει τριχῶς λέγεσθαι· καθ' ἕνα μὲν τρόπον, ἡ δραματικὴ περιπέτεια· καθὸ καὶ τραγικὴν καὶ κωμικὴν ὑπόθεσιν εἶναι λέγομεν· καὶ Δικαιάρχου τινὰς ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων· οὐκ ἄλλο τι καλοῦντες ὑπόθεσιν ἢ τὴν τοῦ δράματος περιπέτειαν. — Loquitur Sextus de tribus vocis ὑπόθεσις significationibus inter quas etiam τὴν δραματικὴν περιπέτειαν numerat. Ita Dicaearchi aliquot vel tantum non omnes ὑποθέσεις ad Euripidis et Sophoclis fabulas nihil aliud continent nisi ipsam fabulae περιπέτειαν [130]). — Dicaearchus igitur saepius περιπέτειαν (Hermannus latine reddidit: inopinatos casus, melius fortasse: fabulae conversio) pro vero dramatis argumento videtur habuisse. Attamen argumenta quoque ab eo scripta esse, quae reliquas fabularum partes, reliquas virtutes tetigerint tractaverintque vel ipsa Sexti verba indicant. — Jam nihil impedit, quominus ὑποθέσεις fabularum singulari libro conscriptas esse statuamus. In quem quidem librum etiam didascalias receperit: certe meliorem locum illa fragmenta tenere non queunt. — Dicaearchus igitur primus est, qui

---

129) Sextus Empiric. adv. Geometr. p. 310. Naeke l. l. p. 42.

130) Notionem vocis περιπ. Aristoteles, qui tragicam περιπ. inter praecipuas tragoediarum virtutes numerat (A. P. VI, 18 Herm.), pluribus locis explicavit cap. XI, 1. 5. cfr. X, 2. XI, 7. 9. XVI, 5. XVIII, 2. XXIV, 2.

ὑποθέσεις Tragicorum, puto etiam Aeschyli scripsit. Nam quod Aeschylus a Sexto non memoratur profecto nullius momenti est. Gravis illa poeta περιπετείᾳ rarissime et per ultimos tantum vitae annos usus in fabulis est. In Choephoris parvum specimen περιπετείας atque ἀναγνωρίσεως. — Unicuique autem didascaliae, sive pro arbitrio excerpsit eas, sive integras transcripsit, argumenti enarrationem subjunctam esse veri simillimum. Ipse vero, ut Aristotelis auditor Athenis commoratus, genuina didascaliarum monumenta, nisi praeceptoris opere uti maluerit, bene potuit conspicere et transcribere. Ceterum Suidam, qui veterum Graecorum scripta tam negligenter enumerat, non moror. — Num hodieque e Dicaearchi opere supersint ὑποθέσεις nescitur [131]). Quantum posterioribus argumentorum scriptoribus auxilium praestiterit, facile colligas. Videmus denique e locis supra laudatis, quantopere genuinae didascaliae jam Aristotelis tempore excerpuntur varioque modo permutantur. Videbimus eas paullatim ita aboleri, ut vix ullum genuinae didascaliae monumentum hodie reperias. — Hactenus de Dicaearcho Peripatetico. —

Heraclides Heracleota Ponticus illustribus Graecorum poetis multum studuit. Eo tamen, quod primus de tribus tragoediae principibus (quos κατ' ἐξοχὴν appellat τοὺς τραγῳδοποιούς) singularem librum composuit, maxime insignis est. Quis enim intelligendus est, nisi Aeschylus et Sophocles et Euripides? Videmusne Tragicorum principes poetas reliquos ita celerrime superasse ut jam illo tempore τριῶν τραγῳδοποιῶν haberent gloriosum cognomen? Certe mihi argumento et hoc est ut praeter trium Tragicorum fabulas reliquorum illae tantum semel

---

131) Infra, ubi de Aristophanis operibus disputo, denuo rem tangam. Quonam titulo usus est liber Dicaearchi? Διδασκαλιῶν nomen ei non dedit opinor. Fortasse ei fuit ὑποθέσεων nomen: certum multo magis ei conveniret, si recte libri naturam perspexi. — De reliquis Dicaearchi scriptis vide doctissimum Naekium.

doctae sint, postea paene neglectae. — Cum libro *περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν* Diogen. Laertius affert: *περὶ τῶν παρὰ Εὐριπίδῃ καὶ Σοφοκλεῖ α'β'γ'*. Deinde *περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν α'*: in quo iterum de Tragicis eum egisse non verisimile [132]). — Ceterum quali judicio usus sit Heraclides, apparet e lepida illa narratione apud Diogenem Laertium: unde elucet omnino opinor eum criticam non factitasse, sed philosophice tractasse dramatum argumenta, aut historicae omnino atque aestheticae explicandi rationi eundem indulsisse [133]). — Quodsi ad veterum testimonia respicimus, non multum profecto, quod Heraclidis commentationes perierint doleamus.

Aristoxeni Musici *περὶ τραγῳδοποιῶν* librum primum Ammonius citat s. v. *ῥύεσθαι*. Scripsit quoque satis magnum *συμμίκτων ὑπομνημάτων* opus: in cujus XI. libro de tragicis et comicis egerat [134]). Opus ejusdem *περὶ τραγικῆς ὀρχήσεως* saepius laudatur, ut ab Harpocratione s. *κορδακισμός*, et Etymol. M. s. *Σίκιννις* laudat primum operis librum. Opera quam Tragicis impenderit illustrandis Aristoxenus, qualis fuerit, ex hisce indiciis facile colligas. Zenobius de versu Euripideae Telephi haec habet: *Βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέτταρα: — Τοῦτο Εὐριπίδου ἐστί. καὶ Ἀριστόξενος δέ φησιν, ὅτι Εὐριπίδης διορθῶν τὸν Τήλεφον ἐξεῖλε τὴν πεττείαν.* Quibuscum si comparamus quae

---

132) Diogen. L. V, 86 sqq. De Heraclide Pontico complures scripserunt ut Koeler, Roulez, Deswert. Novissime Welckerus de opere ejusdem *περὶ πολιτειῶν* commentatus est. Nov. Mus. Rhen. V. p. 114 sqq. E scriptis nomino h. l. *περὶ μουσικῆς*, cujus tertium librum laudat Athenaeus X. 455 d. XIV., 624 c. et sqq. (op. 19—22). —

133) Diog. L. V., 92: cum Aristoxeno memoratur Chamaeleon, ubi de furtis Heraclidis litterariis sermo est. — Cfr. Menagium ad Diog. L. et Suidam s. v. *παραστιχίς*.

134) V. Photii Bibl. gr. ed. Bekker. cod. 161. Idem illius operis librum XVI. a Sopatro Sophista exscriptum esse narrat cod. 103 p. 96. — Num *περὶ τραγῳδοποιῶν* liber cum *συμμ. ὑπομνημ.* illo cohaeret vel idem est?

Eustathius, Scholiasta Aristophanis, alii [185]) de eodem versu deque toto Euripidis dramate narrant: Euripides Aristophanis acerbissimis (vide sis Comici Acharnenses) conviciis commotus correxisse fabulam, certe irrisa loca atque explosa resecuisse videatur. Quae tamen omnia, ut sententiam meam de duplicibus tragoediarum recensionibus refutem, non me movent. Certum est, Euripidem quasdam Telephi fabulae partes propter Aristophanis irrisiones respuisse: attamen Telephum denuo doctam esse nullo verbo dicitur. Immo idiographum Euripidis exemplum auctoris mutationes atque emendationes passum esse, easque per Aristotelem proximosque Peripateticos posterioribus Grammaticis, Zenobio, Scholiastis, aliis innotuisse mihi est persuassimum. Ceterum fabula ab Aristophane tantopere perstricta bis doceri non potuit; caremusque quae contrarium ostendant, prorsus omnibus argumentis. — Sed haec hactenus. Num Aristoxeni nomen mutem in Aristarchi, quem Scholiasta Aristophanis memorat, adhuc dubius haereo. Quodsi Aristoxeni fuit ista narratio, eum diligenter apographa tractasse luculenter demonstrat. Quamquam criticam fuisse Aristoxeni operam non demonstrat. Immo in historicis quoque rebus fides ei abrogatur, ut auctor vitae Sophocleae ejusdem de Sophoclis parentibus narrationem refutat. In qua quidem vitae descriptione bis laudatur: *Φησὶ δὲ Ἀριστόξενος, ὡς πρῶτος τῶν Ἀθήνηθεν ποιητῶν τὴν Φρυγίαν μελοποιΐαν εἰς τὰ ἴδια ᾄσματα παρέλαβε καὶ τῷ διθυραμβικῷ τρόπῳ κατέμιξεν.* Quae quidem verba in opere *περὶ μουσικῆς* exstitisse optime possunt [186]), contra illa de Sophoclis parentibus sententia ex opere: *βίος ἀνδρῶν*

185) Zenobius ed. A. A. Schotti II., 85. Schol. Arist. Ran. 1447. Reliquos scriptores vide apud G. Dindorfium in coll. frgm. Eurip. p. 110.

186) *Περὶ μουσικῆς θ'* Athen. XIV, 619 d. 620 e. 621 c. At in reliquis Aristoxeni operibus dicta esse neque jure possunt: *Περὶ αὐλητῶν* Athen. XIV., 634 d. *Περὶ αὐλῶν καὶ ὀργάνων* IV. 174 c. e. 128 f. 184 d.

procul dubio sumta est [137]). — Aristoxenus fortasse primus est, quem vitam Sophoclis scripsisse sciamus. —

Chamaeleon Heracleota Ponticus περὶ Αἰσχύλου scripsit, ut pluribus locis monet Athenaeus [138]). Quae ex eius opere laudantur plerumque biographi indolem proferunt: locus Athenaei IX, p. 375 f. accuratiorem fabularum tractationem indicat. Quare eum cum Tragicorum biographis Istro, Satyro, Neanthe, aliis compara. Neque obstant reliqua ejusdem de aliis poetis virisque illustribus, quae Athenaeus servavit dicta [139]). —

Hieronymus Rhodius Lyconi Peripatetico aequalis, περὶ ποιητῶν satis magno opere egit [140]): cujus partem fuisse librum περὶ τραγῳδοποιῶν bene suspicatur Fabricius. Quintum operis librum citat Athenaeus XI., 494 a. Librum περὶ τραγῳδοποιῶν laudat Apostolius Prov. XI. 41 (ed D. Heinsii) et Suidas s. ἀναγυράσιος. — Quantum ex Athenaeo, qui etiam plura Hieronymi scripta memorat, colligo, videtur praecipue aetatem poetarum delineasse. —

---

137) Liber Plutarcho laudatur Aristid. c. 27. Lycurg. c. 31. cfr. Athen. XIV., 648 et Stahrii Aristotelia II., p. 41. — ὑπομνήματα ἱστορικά apud Diog. L. IX. 7 sq.

138) Deipnos. I. 21 e. 22 a. X. 428 f. — Eum criticum fuisse, docent Schol. Ven. Iliad. μ 231, τ 62, ψ 94 et 454.

139) Haud exiguam poetis dramaticis impendisse operam videtur: a Photio citatur ἐν τῷ περὶ Θέσπιδος s. Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον: eumque περὶ κωμῳδίας sive περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας scripsisse scimus ex Athenaeo IX. p. 374 a. 406 e. Vid. Meinekii, viri egregii, Quaest. Scenic. III. p. 3 sq. et Boeckhium Praef. Scholl. Pindar. p. IX. Athenaeus alia quoque ejusdem scripta memorat. Cfr. Diog. L. V., 92. —

140) Fabric. Bibl. Gr. II. p. 307 Harl.: „Scripserat hic philosophus Peripateticus plures libros de poetis, quorum primum Epicis, alterum Tragicis, Comicis tertium, quartum Melicis tribuisse videtur; quinto de Citharoedis egisse testatur Athenaeus lib. IX." — Non confundendus cum Hieronymo qui περὶ χρυσῆς στεφάνης laudatur ab auctore Anon. Vit. Soph.

Quis ***Praxiphanes*** ille fuerit, qui a Scholiasta Sophocl. Oed. Col. v. 900 laudatur, haud ita facile ostendas. Apparet enim, si fides veterum testimoniis est, duos fuisse ejusdem nominis Peripateticos, quorum alter ***Mitylenaeus*** fuerit, discipulus Aristotelis et Epicuri philosophi praeceptor, alter ***Rhodius*** Theophrasti peripatetici discipulus. Videtur Mitylenaeus ille primum *Γραμματικοῦ* nomen sibi vindicasse. Una cum Aristotele, a quo et critica et grammatica ars initium ceperunt, saepius memoratur, ut a Scholiasta Dionysii Thracis et Diogene Laertio [141]). — Contra alterum quoque philosophum fuisse grammaticum testatur Proclus: *ὅτι δὲ τὸ προοίμιόν τινες διέγραψαν, ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους καὶ Πραξιφάνης ὁ τοῦ Θεοφράστου μαθητής, μηδὲ τοῦτο ἀγνοῶμεν* [142]). — Procli narratio ex earum numero est, quae refutari non queant. Theophrasti autem discipulus non potest esse Epicuri magister quem et ipsum Theophrasti auditorem fuisse e Laertio scimus. Quare quum duos fuisse ejusdem nominis Peripateticos nequeat negari, majori illi nomen gloriamque primi Grammatici non detraham: attamen juniorem Proclo fateor duce Sophoclis interpretem fuisse contendo. Verum qualem Praxiphanes interpretandi rationem exhibuerit, ex uno illo scholio suspiceris magis quam certius colligas [143]). — Neque tamen eum criticam

cfr. Diog. L. IV. 41 sq. 68. Menag. ad D. L. I., 26. Jonsius Scr. H. Ph. II., 3, 6 p. 154. — Plut. X., 509. B. Vid. et Zenobium Cent. II. Proverb. 55.

141) De Praxiphane, Aristotelis discipulo vid. Laertium X. 13, qui citat Apollodorum *ἐν τοῖς χρονικοῖς*. Clement. Alexand. Stromat. I. p. 309. Heins. Scholiast. Dionys. Thr. in Bekk. Anecd. p. 729. Cfr. Diog. L. III., 8 et V., 35. Fortasse idem est, qui a Marcellino Vit. Thucydid. cap. 29. Popp. laudatur *ἐν τῷ περὶ ἱστορίας*. — Valesius de Critica I. c. 2 p. 148.

142) Procli Prolegg. ad Hesiodi Opp. et D. p. 3. ed. Gaisf. Strabo XIV. p. 655.

143) Adsribo scholium: *Σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος*] *Ἀντὶ τοῦ βλαύτης. Τῶν δὲ ἐξηγησαμένων ἁπάντων αὐτὸ Πραξι-*

factitasse arbitror: negaboque, donec certis quae contradicant argumentis caream: neque temporis universi conditio criticam fabularum recensionem flagitabat. Quod una cum Aristarcho a Proclo memoratur, jam nihil valet. Verumtamen si quam Praxiphanes in Hesiodo posuit operam animadvertimus, deinde si aliorum Peripateticorum, ut Aristotelis, Dicaearchi, fortasse etiam Hieronymi [144]) similia comparamus studia, Praxiphanem etiam ad Tragicos, certe ad Sophoclem — nam de reliquis certi quidquam nequit extricari, — sive didascalias consuluit sive eas neglexit, argumenta scripsisse perquam fit verisimile. Quacum tandem opera si componimus scholium illud Sophocleum, jam philosophum ultra historicam atque aestheticam interpretandi rationem progressum non esse, confidentius contendere debemus [145]). — Et Praxiphanes omnium primus videtur fuisse qui in singulas Sophoclis fabulas justum commentarium scripserit.

De *Asclepiadis Tragilensis* *Τραγῳδουμένων* opere clarum est Casauboni judicium: Noli dubitare Asclepiadis *Τραγῳδούμενα* poetarum tragicorum *ἐγκύκλια* argumenta et omnes tragicas heroici temporis historias esse complexum. Scripserat et Demaratus quidam *Τραγῳδούμενα* ejusdem procul dubio argumenti." — Asclepiades

---

φάνης δοκεῖ ἄμεινον ἀποδιδόναι, ἀκούων τὸ ὑπόδημα, οἷον τῶν ποδῶν τὸ κάλυμμα.

144) Plutarch. Non posse suav. viv. sec. Epicur. X. p. 509. Reisk.: *οὕτως ηὔφρανον Ἐπίκουρον καὶ Μετρόδωρον, ὡς Ἀριστοτέλη καὶ Θεόφραστον καὶ Ἱερώνυμον καὶ Δικαίαρχον οἱ περὶ χορῶν. λόγοι καὶ διδασκαλίαι καὶ τὰ δι' αὐλῶν προβλήματα κτλ.* Xylander vertit: „disputationes et doctrinae de Choris." Rankius conjecit: *οἱ περὶ χορῶν λόγοι καὶ διδασκαλιῶν.* — Ceterum de opere Hieronymi didascalico nihil constat. —

145) Aliter sentire videtur summus Lobeckius ad Sophocl. Ajac. v. 57, quum eum una cum Didymo Pioque commemoret. Sed ab utroque et temporis spatio et ratione interpretandi mirum quantum distat.

Tragilensis, Isocratis discipulus, Aristoteli fere aequalis, certe Praxiphane τῷ γραμματικῷ antiquior. Tragilensem a *Myrleano* sejungendum esse jam dudum J. G. Vossius vidit: qui Suidam quoque duorum ejusdem nominis virorum vitas confundere iterum verissime judicavit [146]). — De reliquis, qui eodem nomine utuntur grammaticis, infra dicemus. Nunc vero, quum de Tragilensis Asclepiadis aetate dubitari non queat: de opere ejus pauca disputamus. Ac *Τραγῳδούμενα* praeterquam quod ab aliis scholiastis et scriptoribus sexcenties laudantur [147]), saepius etiam a Scholiasta Euripidis memorantur: ut Schol. Alcest. 1; Rhes. v. 882 [148]). — In Scholl. Euripid. Phoen. 45. 50. Hecub. 1249. Orest. 1640, omisso operis sive commentationis nomine una cum sententia vel narratione auctoris merum nomen affertur. Quare, quo certius Tragilensi Asclepiadi fragmenta ista vindicemus aliunde nobis petendum auxilium est. Atque a Scholiasta Pindar. Pyth. II., 39, a Schol. Apollon. Rhod. II., 178, ab Apollodoro Bibl. II., 1, 3 una cum Pherecyde laudatur Asclepiades ille major. Quapropter in Schol. Eur. Orest. 1640 et Tragilensem et ejusdem Tragodumena citari certissimum est. Ipsius autem operis indolem fragmenta, quae hodieque legimus satis superque significant: ita ut reliqua scholl. Eurip. ad idem respicere luce clarius sit. Neque tamen Myrleanum ex interpretum numero propterea eximendum esse duco, quod in scholiis superstitibus

146) Cfr. Stephan. Byz. s. *Τράγιλος*. Plutarch. Vit. Isocr. XII. p. 837. Hutten. Casaubon. ad Athenaeum p. 485. Suid. v. *Ἀσκληπιάδης*. Voss. Histor. Gr. p. 116 sqq. 121. 141. Boeckh. Praefat. ad Scholl. Pindar. p. XV.

147) Fragmenta collegit Fr. J. Werfer: Asclepiadae Tragilensis Tragodumenon reliquiae: in Actt. Phil. Monac. II. p. 491—554.

148) Welckerus in Nov. Mus. Rhen. II. p. 120 ita emendavit scholium: *Ἀσκληπιάδης ἐν τοῖς περὶ δουλοσύνης θεοῦ*, Vaterus in edit. Rhesi: *Ἀσκληπιάδης ἐν τοῖς Τραγῳδουμένοις*. Amatii quidem apographum illius emendationi favet: attamen Vaterus Tragodumena laudari verissime vidit.

non nominatur [149]). — Tragodumena libris sex constitisse, Stephanus Byz. narrat. sextum laudat Schol. Pind. Pyth. IV, 313. Versibus scriptum opus fuisse e quibusdam indiciis Heynius collegit non probatus Werfero [150]). Equidem, ubi fragmenta conspicio, Asclepiadem pedestri oratione usum esse arbitror. Sphingis enim aenigma ex illius fabrica non credo esse, quod fortasse ipsis Tragicis multo antiquius est. Qui vero? num versibus Hipponacteis scripta Tragodumena esse possunt [151])? — Immo Asclepiadem ut Sphingis illud aenigma ita hunc quoque versum: *ὃ καὶ κυνὸς καλοῦσι δυσμόρον σῆμα*, nisi forte fortuna verba versum effecerint, e monumento quodam transcripsisse contendo. — Contra interpretum veterum et scholiastarum fuit, poetarum versus integros apponere: ac scholiasta Eur. Orest. 1640: *ὁ δὲ Ἀσκληπιάδης*, inquit, *ἱστορεῖ κτλ.*; quod carmini minus conveniret [152]). — Casauboni denique judicium etiam magis scholio eodem firmatur: atque Asclepiades reliquos quoque *μύθους* descripserit integros, ut, quae a Tragicis praetermissa essent, ea de suo adderet omnia. — Interpretes Tragicorum graecorum opere ejus pariter ac Pherecydis scriptis saepissime, ut videtur, usi sunt: saepius nisi fallor, quam Apollodori bibliotheca.

E *Philochori Atheniensis* scriptis primum ea huc pertinent, quae de Atheniensium festis musicisque certami-

---

149) Myrleanum etiam in Tragicos commentatum esse, e Scholl. Aristophan. Com. colligas: licet etiamnum incerta res videatur esse. —

150) Heyne ad Apollodor. Bibl. p. 977 et 694. In Schol. Pind. P. III. v. 14 Werferus agnoscit Asclepiadem juniorem grammaticum (p. 539). Versus autem ipsi Hesiodo libenter adscripserim.

151) Tzetz. ad Lycophr. 315 p. 536. Eurip. Hec. 1249 ibiq. Schol. — Thuc. VIII., 104—106. Werferus putat, Asclepiadem Samium, epigrammatarium, versus illius auctorem esse.

152) Quamquam hoc argumento etiam carere possumus. Tantum enim valet, quantum illud, quo contra sententiam nostram possis uti, quod in Schol. Eurip. Alcest. 1. una cum

nibus edidit: *περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἀγώνων βιβλ. ιζ'* [152]); *περὶ ἑορτῶν* (Harpocrat. s. *ἀλῶα* et *χύτροι*). — Etiam memorabilior liber, qui inscriptus fuit: *Ἐπιγράμματα Ἀττικά*, inter quae etiam didascalicorum monumentorum apographa fuisse nullus dubito. Philochori enim temporibus monumenta illa superfuisse non est, quod moneam. Certe consuluisse eum didascalias, aliquot exempla ex Euripidis scholiasta sumta infra docebunt. — Praeterea Philochorus opus confecit, Asclepiadeo illi simillimum: *Περὶ τῶν Σοφοκλέους μύθων βιβλ. ε'.* Quod quidem opus ab interpretibus usurpatum fuisse, certe scholia Sophoclea non demonstrant. At illum, quem *περὶ Εὐριπίδου* scripsit librum, scholiastae Tragici saepius laudant: ac, si reliqua Philochori scripta animadvertimus, eum vitam poetae ita descripsisse elucet, ut res *χρονολογικὰς* potissimum tractaret. Item de fabulis Euripideis ita disputavit, ut et argumenta mythica et actorum dramatum tempora potissimum illustraret. Ex *ἐπιλυτικῶν* numero eundem fuisse schol. Eurip. Hipp. v. 72 non luculenter demonstrat: immo in locum istum arbitror eum propterea commentatum esse, quod de rebus sacris deque deorum cultu sermo deberet esse. — Inscriptio fateor illius, quod de Sophocle scripsit, operis eum chronologiae fabularum Sophoclearum habuisse rationem, non indicat: attamen sufficiunt scholl. Eur. Orest. v. 361 et v. 760, ut didascalias eum, si non collegisse certe tamen consuluisse saepenumero, confidentius possimus contendere. — Quod alia Philochori scripta ut Atthidum et Olympiadum libri saepius, si quidem scholia graeca sequimur, ab interpretibus memorantur, illud profecto mireris. Quibuscum si comparare ipsa de Sophocle et Euripide scri-

---

Hesiodo memoratur Asclepiades, anteaquam Pherecydis mentio fit. — Sed et ipsius rei atque argumenti natura et universi conditio temporis pedestrem orationem quam maxime flagitabant. Contra si Asclepiades Tragilensis e. g. Myrleani vixisset temporibus, eum carmina pepigisse arbitrarer.

153) „Argumentum a multis tum temporis tractatum." Siebelis in Philochori frgm. p. 7.

pta licet, facilius demum cujus haec indolis fuerint, delineabis. Unde, qui mythos pariter atque historicas res criticis commentationibus illustraverit, primum Philochorum fuisse apparet [154]). — Igitur ex hujus quoque viri scriptis, criticam artem ad universa fabularum argumenta prius accessisse, quam ad ipsa poetarum verba, intelligas. — Hactenus de Philochoro [155]). —

Duridis Samii de Sophocle et Euripide scriptionem laudat Athenaeus IV. p. 181 d. Fabricius Bibl. Gr. haec habet: „Duris Samius, Ptolemaei Philadelphi temporibus clarus, scripsit *περὶ τραγῳδίας* teste Athenaeo l. XIV. (cfr. Voss. l. l. p. 97)." Quem quidem Athenaei locum me nondum reperisse, ingenue fateor. Neque possum de historici scripto certi quidquam extricare. Eum, ubi priorem Athenaei narrationem considero, de vita pariter atque de arte Tragicorum egisse arbitror. —

Sosibius Laco, *γραμματικὸς τῶν Ἐπιλυτικῶν καλουμένων* (Suidas), Hieronymo Rhodio fere aequalis [156]), memorandus est propter Schol. Eur. Orest. 1632: *ναυτίλοις σωτηρίοις*] *ὅτι ἡ Ἑλένη τοῖς χειμαζομένοις κατὰ θάλατταν ἐπήκοός ἐστι, κατὰ Εὐριπίδην σεσημείωται, ὁ μέντοι Σωσίβιος ἔμπαλιν οἴεται οὐκ εὐμενῶς αὐτὴν ἐπιφαίνεσθαι.* Perquam probabile est Sosibium alias quoque quaestiones imprimis *τὰ διαβεβοημένα ζητήματα*, qualia scholiastae ad Eur. Med. v. 171, ad Hippolyt. v. 72 al. commemorant, nisi ipse pri-

---

154) Loquor, quod monere h. l. necessarium, de Tragicorum fabulis.

155) Consulto loca, quibus alia Philochori scripta laudantur, praetermisi. Ad ejusdem de Euripide scriptionem respicit, ut videtur, Diogen. Laert. II., 44 et IX., 55. Gellius N. A. XV., 20: cfr. etiam Sext. Empir. adv. Geom. IX., 57. Diodor. XIII., 38. — Jos. Barnesius Vit. Eurip. defendit Philochori auctoritatem.

156) *Λυτικὸς* Athenaeo dictus XI. p. 493 d. Cfr. eund. III. 78 c. 81 f. XIV. 621 d. Scripsit etiam de Alcmane. Vid. et Jons. Scr. H. Ph. II. 3. Wower. Polym. c. 10. Diog. L. VI. 81. Ex Athenaeo alia ejusdem scripta cognoscas.

mus ea proposuerit, certe tamen pro sua parte ea tractasse. *Αυτικοὶ* quodammodo etiam *ἐνστατικοί* vocari possunt.

Neanthes Cycicenus, *ῥήτωρ μαθητὴς Φιλίσκου Μιλησίου.* Philiscus Isocratem oratorem audivit, ergo Neanthes Duridi Samio fere aequalis [157]). Quem vitam Sophoclis in libro *περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν* (Harpocrat. s. *κραστός*) descripsisse docet opinor Anonymus in Vit. Sophocl., qui ejusdem de morte Sophoclis narrationem affert. Praeterea a schol. Eur. Trod. 89 ipsa ut videtur Neanthis verba adscribuntur, quae bene in commentario locum habuerint. —

Alexander Aetolus, Pleiadis tragicae poeta et grammaticus [158]), maxime propter scholium Plautinum a Ritschelio nobiscum communicatum nominandus est. Quamquam ipsius scholii fidem illustres viri infitiantur, attamen quidquid cogitas de ejus auctore, pleraque e fontibus eum perantiquis hausisse, res relatae per se docent. Ab Alexandro igitur Tragicorum Graecorum opera collecta sunt. Sed quot tandem Tragicorum? Si quidem narrationem de fraude Ptolemaei Euergetae comparamus, trium potissimum Tragoediae principum fabulas in unum collectas et in ordinem redactas esse, admodum verisimile fit. Quae demum collectio quum Ptolemaeo non sufficeret, facta fraus illa est. Atticum fabularum exemplum ab Alexandro usurpatum non esse, certissimum. Exempla igitur praesto illi erant, quae quovis modo interpolata atque inquinata poterant esse. Neque eum criticae recensioni operam impendisse constat: quippe qui varia exempla inter se comparare vel conferre non potuerit. Num de suo emendarit mutaveritque nesci-

---

157) Cfr. Diog. L. I. 99, ibique Menagium. Jons. H. Ph. I. 18. Voss. Histor. Gr. p. 98. Clinton. Fast. Hellen. a. 241. Ad eundem librum respicit, nisi fallor. Schol. Arist. Lysistr. v. 899.

158) Capellmannus (Alexandri Aetoli fragm. 1830 p. 13) Alexandrum Aetol. commentarios in usum discipulorum publice edidisse contendit, reprehensus Schneidewino in Zimmermanni Diurn. a. 1834 p. 148.

mus. Num usurpata a posterioribus Grammaticis haec dramatum collectio fuerit, an potius propter alterum idque melius exemplum neglecta, infra videbimus.

Callimachi aulici regii bibliothecarii studia, quae quidem ad Tragicos attinent, historica sunt. Iustum in Tragicos commentarium, quantum colligere possum, non scripsit: neque criticae artis exhibuit specimina. Plerumque carmina Callimachi a scholiastis laudantur, eaque tam frequenter, ut poetam grammaticis Alexandrinis prae reliquis iisque antiquioribus poetis mirum quantum placuisse appareat. — Nihilominus Tragicorum opera perquam sedulo pervolvit: ipse imitatus Aeschylum est, ut docet Schol. Choephor. v. 451: *ἐκ τούτου εἴρηται τὸ — Καλλιμάχου.* — Verum h. l. praecipue ad opus Callimachi didascalicum animum advertamus. Callimachum enim opus didascalicum scripsisse, satis multi iique graves testes docent. Eum vel coactum quodammodo fuisse, ut ejusmodi componeret opus, supra exposui: sed re vera ab eo scriptum esse, testatur Athenaeus VIII, 336 E [159]), testatur scholiasta Aristophanis pluribus locis, testatur denique — namque hoc magni debet apud unumquemque auctorem momenti esse — universa doctrinae Callimacheae indoles. E philologis quoque recentioribus Callimacho opus didascalicum vindicatum plures iverunt. Boeckhius C. J. I. p. 350: „Eandem rem (didasc.), inquit, a Callimacho tractatam constat *πίνακι τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκαλιῶν* (al. *διδασκάλων*); et is quidem didascaliarum reprehensor extitit ab Eratosthene adversus eum vindicatarum (Schol. Ar. Nub. 549.)" Bernhardius autem Suidae verba sic emendat: „*Πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων [συγγραφέων] καὶ συνταγμάτων. Διδασκαλιῶν πίναξ. [περὶ] τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν.* — Unus, quantum scio, Ran-

159) *Οὐ περιέτυχον τῷ Ἀσωτοδιδασκάλῳ, ἀλλ' οὐδ' ἀναγραφῆς ἀξιωθέντα σύνοιδα. Οὔτε γὰρ Καλλίμαχος οὔτε Ἀριστοφάνης ἀνέγραψαν, ἀλλ' οὐδ' οἱ τὰς ἐν Περγάμῳ ἀναγραφὰς ποιησάμενοι.* Cfr. Athen. XI. p. 496 f.

kins, qui Fabricium contra Groddeckium defendit, ut sententiam suam de Aristotelis didascaliis ab omni parte defenderet, Callimachum copiis Aristotelis usum esse, at ipsum opus didascalicum non scripsisse contendit (l. l. p. CLXI). Sed Callimachus, ut scholiasta Plauti refert, singulis voluminibus titulos inscripsit. Quod non ita intelligo, ut grammaticum singulorum operum nomina suprascripsisse voluminibus bibliothecae Alexandrinae arbitrer. Illud enim ab ipsis auctoribus factum esse non est quod moneam: neque ejusmodi negotium tam illustri viro potuit unquam mandari. At de historia libraria Callimachi cogitandum esse cum Ritschelio [160]) censeo; quae ad unum omnes bibliothecae Alexandrinae libros complexa sit, ita ut grammaticus singulorum librorum nomina, auctores, auctorum aetatem, unius cujusque denique scriptionis, quantum fieri posset, tempus brevissime adumbraret. Igitur ad modum *πινάκων παντοδαπῶν συγγραμμάτων* [161]) vel potius tanquam particulam maximi illius operis confecerit. Tragicorum quoque fabulas ita consignaverit, ut tempus actae fabulae, poetas concertantes, victoriam, et quae ad rem omnino pertinent, ea enotaret omnia. — Fortasse Alexandri Aetoli collectione usus est: immo aliam ei praesto fuisse nego. Unde vero, quaeso, didascalica hauserit? Neque enim Athenis eum commoratum esse neque Aristotelis didascalias Alexandriam pervenisse scio. Nihilominus didascalica opera in Alexandrinorum usum pervenisse quammaxime oportet. Caremus omnino, quod h. l. mihi dolere liceat, quae commercium inter antiquos Graecos literarium saltem aliqua ex parte descripserit, accurata commentatione. Equidem rem intactam relinquere cogor, nihilque possum amplius affirmare nisi ut Aristotelicum opus a Callimacho nescio

---

160) Alexandrin. Biblioth. p. 20: „Einen innern Zusammenhang zwischen diesem bibliothekarischen Geschäft des Callimachus und seinen literarhistorischen *Πίνακες* wird Niemand verkennen.“

161) Apud Athen. IV, 244a. 252c. XIV, 643f. Cf. Blomfield. ad Callim. p. 220 sqq.

qua ratione usurpatum fuisse contendam. — Namque eum aliquo didascalico opere usum esse, scholiasta Aristophanis duobus locis testatur, quae deinceps adscribam. Schol. Arist. Av. 1242 haec habet: *Ὁ μὲν Καλλίμαχος γράφων οὕτως, λικυμνίαις βολαῖς, φησὶ, ταύτης τῆς διδασκαλίας οὐ μέμνηται κτλ.* Quae sic emendavit Schneiderus meus (de vett. Arist. Scholl. fontibus p. 86): *ὁ μὲν Καλλίμαχος „Ἀριστοφάνης γράφων οὕτως· λιχυμνίαις βολαῖς, „φησι“ ταύτης — οὐ μέμνηται.* Egregiam emendationem toto animo amplector. Tota sententia aperte ex opere didascalico, sive particula fuit *πινάκων* sive singulari volumine conscriptum, sumta est. Reprehenditur comicus, quod una cum titulo ipsius quoque fabulae argumentum non satis perspectum habuisse videatur. — Verum tamen ipse Grammaticus, ut alterum docet scholium (Arist. Nub. 549.), satis negligenter didascalias tractavit: quippe quem bis doctam esse Aristophanis Nubes, sive duas ejusdem nominis actas comoedias esse fugere posset. — Alterum demum scholium tantopere obloquitur alteri, ut, quid statuas de operis Callimachei indole, profecto nescias. — Sufficiat ergo ut opus Callimachi didascalicum quondam exstitisse sciamus [162]. —

Istrum Cyrenaeum, Callimachi *δοῦλον καὶ γνώριμον,* septies laudat Anonymus in Vit. Soph., ex parte vero refutans illius dicta, ita ut pretium viri dijudicare non ita facile possis. Singularem de vita Tragici librum compositum ab Istro fuisse non puto. Ex ejusdem potius *Ἀτάκτοις* ista omnia sumta esse contendo. *Ἀτάκτων* autem opus a scholiasta Soph. Oed. Col. saepe laudatur, ubi de rebus sacris expositurus est. *Ἄτακτα* cum *Ἀττικοῖς* idem opus fuisse, nonnulli arbitrantur. Ceterum Suidas eum

---

162) Cfr. Bernhardii Eratosthenic. p. 204. Meinekii Quaest. scenic. III, p. 4. — Ritschelii D. Alexandr. Bibl. p. 84 sqq. — Ruhnken ad Callim. frgm. p. 470 ed. Ern. „Callimachum *ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνηκ* citat scriptor vitae Arati; ad illum, ni fallor, Praxiphanem, qui memoratur a Demetrio *περὶ ἑρμηνείας* §. 57.“ Ita Fabric. B. Gr. III, 822. H.

multa scripsisse tradit [163]). — Istrum reliquorum quoque Tragicorum simili ratione saepius meminisse, probabile est. Eum criticam non factitasse, non est quod moneam. —

An ***Eratosthenes*** quoque didascalica scripserit, incertum est. Egregia Boeckhii sententia est: „Nec tamen Eratosthenes peculiarem de iis librum edidit, sed eas in opere de antiqua comoedia attigit.“ Neque de tragica didascalia Eratosthenem unquam disputasse scimus. Quamquam Athenis, unde Alexandriam profectus est, consulere eum ipsa didascaliarum monumenta potuisse, etiam Rankius profitetur: idque et Athenis eum et Alexandriae, quantum fieri potuit, saepissime fecisse, studia ejus χρονολογικὰ satis superque docent. Quibus simul certiores fiamus, ut philologus ille illustris, modo commentarium scripserit in Tragicos, plerumque historicarum rerum habuerit rationem, aut ad summum singula verba explicuerit poetarum. Scholiasta enim Eurip. Troad. v. 1175 integra, ut videtur, Eratosthenis verba affert: quae optime possunt e commentario vel potius e glossario deprompta esse. Quo pertinet opinor etiam historia illa brevis τῆς φυλλοβολίας, Schol. Hecub. 569 [164]). — An reliquos quoque Tragicos simili ratione illustraverit, admodum dubium est: quamquam eorum fabulas lectitavit ut abunde reliquorum operum fragmenta docent. —

Apollonium Rhodium in Euripidem commentatum esse, si duce scholiasta Eur. Med. 1324 concederem, ubi cum Callimacho una memoratur, etiam huic interpretis nomen tribuere cogerer. Verum ex utriusque nescio quo opere, quae scholiasta affert, deprompta videntur esse. — Alium autem Apollonium ac posteriorem quidem Gramma-

---

163) Cfr. Toup. ad Suid. s. v. Menage ad Diog. L. II, 59. Schol. Pindar. Ol. I, 37. VII, 176. VI, 55. Schol. Apollon. Rhod. II, 207. Schol. Ven. Hom. Il. saepius. Schol. Arist. Nub. 965. Av. 1700. Lysistr. 643.

164) Cfr. etiam ej. Catasterism. 17 de Euripidis fabula Andromeda.

ticum esse, qui bene, ut scholl. Arist. Ran. 1302 et 1329 docent, Aeschyli fabulas cognovit, libenter Schneidero (de vet. Ar. Schol. font. p. 89) concederem si luculentis esset contra Stoeckerum (de Soph. et Arist. interpr. Graec. p. 8) argumentis usus. Aequalium enim virorum memoria ut ab Rhodio dictum esse putemus, quod de Aeschylea fabula dicitur, flagitat [165]).

Timarchus Rhodius a Schol. Eur. Med. 1 ita citatur ut non queat non interpres poetae vocari: *Ὁ δὲ Τίμαρχος τὸν τρόπον τῆς ποιήσεως ἀγνοήσας ποιητικὸν ὄντα τῷ ὑστέρῳ πρώτῳ φησὶ κεχρῆσθαι, ὡς καὶ Ὅμηρος* (Od. ε 264) *Πρότερον γάρ φησιν εἶναι τὰ δένδρα, εἶθ' οὕτως κατασκευασθῆναι τὴν Ἀργώ.* Vixit ut Suidas docet, Eratosthenis, Euphorionis, Apollonii aetate. — J. G. Vossius (l. l. p. 107) Timarchum Rhodium a ***Timachida Rhodio***, glossographo sejungendum esse sagacissime demonstravit. Maussacus autem ad Harpocrationem s. *Ἀργᾶς* „*Τίμαρχος*“ in „*Τιμαχίδας*“ permutat probatus Gaisfordio, qui Hemsterhusium *Τίμαχον* legere refert. Ac satis multa de Timarcho exstant argumenta: illis enim a Vossio allatis addere possum Lexic. Seguer. in Bekkeri Anecdot. p. 442, 33. Schol. Ven. Homer. Il. *φ*, 122 [166]); et ipsum Euripidis scholiastam, qui et Timarchum laudat l. l. et bis Timachidam quoque ad Med. v. 169 et 1324. Hoc enim scholium quod lacuna laborat, si comparamus illud ad v. 169 aperte flagitat Timachidae nomen. — Uterque grammaticus eodem fortasse tempore vixit. Timarchus autem ille Alexandrinus, Metroclis Cynici cum aliis discipulus, quem Diogen. L. VI,

165) Fortasse Apollonius publicum exemplum, quod ipsius demum tempore circa Olymp. 138. Alexandriam venerit, jam pervolvit, ut minus notas fabulas de quorum auctoribus vel ipsi Grammatici possent dubitare, ipse melius cognosceret. — De negligentia Alexandrinorum paullo infra dicam.

166) Una cum Aristarcho atque Aristotele laudatur, unde tamen de Timarcho illo Aristotelis discipulo cogitare nolim, cujus meminit Stagirita in testamento apud Diog. L. V, 12.

95 memorat; cum Rhodio idem videtur fuisse. Alexandrini enim cognomen nihil aliud significat, nisi Alexandriae eum commoratum esse fuisseque Grammaticorum unum. — Timachidae *Γλώσσας* etiam Tragicorum fabulas complexas esse, admodum probabile est. Attamen, quae in scholl. Il. afferuntur in alio nescio quo libro fortasse in commentario longe meliorem habent locum. Quo bene pertinet etiam schol. Ar. Ran. 1302. — Cfr. et Rankius de lexic. Hesychian. etc. p. 113 sqq. p. 117.

Demaratus, cujus *Τραγῳδούμενα* memorat Clem. Alex. Protr. p. 27 C. qua aetate vixerit non constat. Attamen si scholia Apollon. Rhod. I, 45. 1290 ubi cum Hesiodo, Pherecyde, aliis qui mythologiam Graecorum exposuerunt una laudatur, respicimus eum Asclepiadi Tragilensi fuisse aequalem admodum probabile fit. Lubet de eo verba apponere Vossii l. l. 352: „Demarati de Phrygia, de fluminibus Plutarchus de fluviis, secundum *Τραγῳδουμένων* citat Clem. Al. Protr. Plutarchus in Agesilao scripta memorat Demarati Corinthii. Sed hujus Corinthii an caetera quoque sint, vel quae ejus sint, quae alterius, haud proclive est dicere.“ Cfr. Eusebii Praepar. Ev. p. 157. ed. Paris.

Viros enumeravi, quorum pro sua unumquemque parte Tragicorum fabulas, tragicaeque artis historiam illustrasse constat. Quod, quam varia ratione factum sit e singulis singulorum auctorum operibus facile intelligas. At quum omnium quos attuli virorum opera meam de universa hujus periodi indole atque ingenio sententiam satis superque sustentent et affirment, ea quae initio hujus disputationis aliisque locis passim eloquutus sum, ut repetam, opus non est. Praeter illos, quos et ipse nominavi, et scripsisse simili ratione de Tragicis complures, et usurpatos eos, omisso nomine, a scholiastis vel ab antiquioribus Grammaticis esse profecto non est quod moneam. Verum consulto praetermisi viros, qui Graecorum mythologiam illustraverint, qui de poetis, de musica, de vitis illustrium virorum scripserint, praetermisi antiquissimos glossographos, quippe quorum neque scholia nostra faciunt mentionem, neque

alii scriptores eos singularem Tragicis operam dedisse referunt. — Num omnes illi, quos nominavi interpretes, omnibus trium Tragicorum fabulis usi sint, ad liquidum perduci nunquam potest. Quamquam partem eorum tantum singulas usurpasse fabulas, partem (cogito de Aristotele, Dicaearcho, Heraclide Pontico) eas omnes proprio obtutu conspicere potuisse, perquam est verisimile. Ceterum si primi Grammatici omnes omnino fabulas pari studio amplexi essent, ex earum numero multo plures essent procul dubio servatae. Ac ne celeberrimi quidem Alexandrini ad unum omnia dramata ut par erat cognita perspectaque habuerunt, ut abunde docent scholia nonnulla Aristophanica, imprimis illud ad Ranar. v. 1302, saepius nobis laudatum.

Caput tertium.

Ut secundam interpretationis Graecae aetatem ab *Aristophane Byzantio* inciperem, plures me caussae moverunt. — Primum ante hujus Grammatici tempus critici commentarii specimina vel vestigia indagare non potui. Deinde ejusdem aetate illustre illud Atheniensium exemplum fabularum ab Athenis Alexandriam delatum est, idque cum aliis exemplis primus Aristophanes contulit. Denique idem Grammaticus primus accentus signis usus est. Ne factum negligentia esse puta, ut Aristophanis temporibus Atticum fabularum exemplum, quod sub Ptolemaeo Euergeta rege Atheniensibus ereptum est, Alexandriam venisse contendam. Aristophanes enim, quum rex ille supremum obiit, circiter quadragesimum aetatis annum agebat [167]: sexaginta duos aut quattuor annos natus regiae bibliothecae praeerat, ita ut Callimachum aut Eratosthenem aut Apollonium nitidissimum illud apographum curasse, verisimilius esset. Attamen ipsis bibliothecae praefectis non tribuam transcribendarum fabularum negotium: nec quidquam, quominus vel a juvene grammatico confectum apographum esse arbitremur impedit. Quodsi re vera sive ab

167) Sequor Ritschelium l. l. p. 79 sqq. Cfr. etiam Rankius l. l. p. CVI. not. 92.

ipso grammatico sive duce eodem transcriptae fabulae sunt, nonne exemplum accentus signis ornatum esse apparet? Namque sive placuit sive displicuit Atheniensibus ejusmodi apographon, quid juvisset Ptolemaeis refragari? Quidquid de auctore exempli Alexandrini formavo ejus externa cogitas, nihilominus Aristophanem omnium grammaticorum et factitasse primum criticam artem et debuisse factitare certissimum est. — Bipartita omnino, quam Tragicis tribuit Grammaticus, opera est; altera historico-aesthetica, altera critico-exegetica. — Prioris interpretandi rationis specimen eximium opus est didascalicum. — Ipsum Aristophanem didascaliarum monumenta collegisse, docet opinor Athenaeus VIII. 336 e. Certe eum mediae novaeque Comoediae fabulas enumerasse apparet. Praeterea autem operibus didascalicis antiquiorum grammaticorum usus est, inprimis Callimachi πίναξι, ut ex Athenaeo IX. 408 f. 410 b. e., qui laudat eum ἐν τοῖς πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας, colligo [168]). Alibi autem etiam Aristotelis διδασκαλίας, nisi eae prius eo venerint, una cum Attico exemplo Alexandriam delatas esse suspicabar. Fortasse etiam Dicaearchi Messenii ὑποθέσεων opus praesto ei erat, ad cujus modum ipse argumenta fabularum enarraret. Certe ejusmodi usurpavit opera, quae didascaliarum monumenta accurate collecta descriptaque continerent. —

Jam vero, quale Aristophanis opus fuerit, quaeritur. Docent argumenta, quae hodieque legimus, ad Sophoclis Antigonam, Euripidis Medeam, plerasque Aristophanis Comici fabulas, grammaticum ad tempus, quo acta dramata essent, praecipue advertisse animum. Argumentum enim ad Euripidis Bacchas, cui Aristophanis nomen suprascriptum est, aperte deperditi majoris fragmentum est. — Docent autem eadem argumenta, Aristophanem Διδασκαλίαις

168) Bernhardius (Gr. Litt. Gesch. p. 135), quo referat ad idem opus, emendat Etym. M. verba s. Πίναξ: — ἐν οἷς ἦσαν αἱ ἀναγραφαί, ποιητῶν ἀρχαίων οἷς ἐντυχὼν Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς ἐποιήσατο τὰς ὑποθέσεις τῶν δραμάτων.

pro arbitrio quae sibi convenirent excerpsisse, ut hic unius poetae, tantum unius fabulae victoriam enotaret, illic vel poetas concertantes enumeraret. Atque integras didascalias nusquam videtur descripsisse: verum iisdem ducibus exemplis, Aristophanem historicas res consulto unquam neglexisse nego: immo ubi argumenta incerti etiamnum auctoris de tempore, quo acta fabula sit, de archonte, de victoria loquuntur, iis Aristophanis Grammatici nomen confidenter verissimeque opinor suprascribo. Quo pertinent argumenta ad Aeschyli Persas, Agamemnonem; Sophoclis Oedipum Regem (*διὰ τί τύραννος ἐπιγέγραπται,* unde simul Dicaearchi copiis usum eum esse intelligas), Oedipum Coloneum, Philoctetam; Euripidis Rhesum, Medeam (arg. I. ed. Dind.), Hippolytum, Alcestidem (ed. Dind.), Andromacham, Phoenissas, Orestem. — Verum enim vero integra, qualia Aristophanes conscripserit etiamnum legi argumenta nolim contendere. Nam si aliquid, ejusmodi argumentum a posterioribus Grammaticis pro arbitrio receptum, permutatum, amplificatum, contractum, praetermissum est. Atque interpretes posterioris temporis imprimis Aristophanis usurpasse copias, abunde quae supra attuli docent exempla. —

Porro ex argumento Sophocl. Antigon. discimus, Aristophanem ordinis quo fabulae in Attico exemplo perscriptae fuerint, habuisse rationem. Huc enim refero Grammatici verba: *λέλεκται δὲ τὸ δρᾶμα τοῦτο τριάκοστον δεύτερον:* refero etiam Argum. Eurip. Alcestid.: *τὸ δρᾶμα ἐποιήθη ιζ'* [169]) Argum. Aristoph. Av. *ἔστι δὲ λε'.* In ipsis enim didascaliarum monumentis, quota esset docta fabula, memorari nullo pacto potuit. At quibusnam, quaeres,

169) Apertum vitium Glumius (de Eurip. Alcest. comm. p. 11) satis bene sanavit: scripsit enim: *ἐποιήθη ιε'.* — At frustra ex ejusmodi numero, quo tempore acta fabula fuerit colligas. Aves Ol. 91, 2 docta est: atque Aristophanem scimus comoedias scripsisse *μδ'* quarum *δ'* spuriae fuerint. Quare numerus iste aut mirum quantum depravatus est, aut ordinem fabularum, quo in aliquo exemplo — cogito de exemplo Lycurgeo — perscriptae fuerint indicat.

commotus causis grammaticus ista ratione enumeraverit fabulas? Profecto nulla fateor nisi ut ordinem fabularum quarum argumenta enarrasset, tam accuratum servaret, quam antiquiores eum constituissent grammatici. Quod quum recentior interpres ignoraret, de Alcestide dixit: τὸ δρᾶμα ἐποιήθη κτλ.

Didascalicis autem, quae inprimis e Callimachi opere sumserit, singularum fabularum ὑποθέσεις subjunxit: in quibus, quos demum mythos ad unum omnes Tragici — loquitur etiam Aristophanes tantum de tribus principibus Tragoediae — deinceps usurpassent, quos unus solummodo duove, accurate investigaret. Ita de Aeschylea Prometheo — namque Aristophanes procul dubio argumenti auctor est — dicere potuit: κεῖται δὲ ἡ μυθοποιία ἐν παρεκβάσει παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Κολχίσι, παρὰ δὲ Εὐριπίδῃ ὅλως οὐ κεῖται; ita fabulae Aeschyleae VII. adv. Theb. personas cum Euripideis et Sophocleis composuit; ita denique de ejusdem poetae Eumenidibus praedicavit: παρ' οὐδετέρῳ (i. e. neque apud Sophoclem neque apud Euripidem) κεῖται ἡ μυθοποιία. — Quo pertinent etiam argumenta Sophocl. Antigon: κεῖται δὲ ἡ μυθοπ. καὶ παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Ἀντιγόνῃ; Philoctet. κεῖται δὲ καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἡ μυθοποιία, — Euripid. Med. παρ' οὐδετέρῳ κεῖται ἡ μυθοπ., Alcestid. παρ' οὐδετέρῳ κτλ.; Bacch. ἡ μυθοπ. κεῖται παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Πενθεῖ; Phoeniss. ταύτῃ γὰρ τῇ ὑποθέσει κἀκεῖνος χρῆται ἐν τῷ δευτέρῳ [170]). — Porro ad argumenti enarrationem scenae personarumque descriptionem annexuit. Singula afferre exempla taedet. Denique judicia adjunxit de virtute ac praestantia fabularum, quatenus aut victoriae reportatae cladive acceptae conveniret. —

Jam vero Aristophanes non pedestri solum oratione argumenta conscripsit, sed versibus quoque lusit, ut ὑποθέσεις ἔμμετροι docent ad Sophoclis Oedip. Reg., Aristophanis Acharnenses, Equites, Vespas, Aves, Ecclesiazusas.

---

170) Grammaticus multo recentior Aristophanis Byzant. opere usus, verba ejus cum suis ipsius confudit. De tempore autem, quo fabulae certo ordine explicatae sint, vide infra.

Quare non dubito similium argumentorum ad Sophoclis Philoctetam, Aristophanis Nubes, Ranas, Lysistratam eundem Grammaticum fuisse auctorem. Quumque unicuique ὑποθέσει didascalica procul dubio annexuerit, etiam ἐμμέτροις illis res didascalicas easque pedestri oratione scriptas eundem adjunxisse certissimum est. Qualis demum didascalici argumenti specimen egregium exstat, nimirum quartum illud ad Aristoph. Nubes (ed. Dind.). — An ἐμμέτρους ὑποθέσεις ad omnes trium Tragicorum fabulas scripserit, incertum est. Ubique vero quod iterum iterumque moneo, didascaliarum rationem habuit. Singulare ὑποθέσεων opus eum composuisse significare videtur Athenaeus l. c., quamquam si quis commentariis Aristophanicis eas praescriptas fuisse contendit non magnopere refragabor. — Easque omnes trium Tragicorum fabulas, quotquot in Attico exemplo descriptae fuerint, amplexas esse non est quod moneam. Facile autem, quantopere ab Aristophane genuina didascaliarum monumenta permutata sint e sat multis colligas exemplis: genuina eorum forma a posterioribus Grammaticis, quibus ne opera quidem didascalica praesto fuerint, magis magisque neglecta est. Quare quod genuinae didascaliae specimen fere nullum hodieque supersit, noli mirari. — Hactenus de argumentis didascalicis Aristophanis Byzantii. Quae si recte disputavero demonstrabunt, quam vere dictum sit Boeckhio: „Quae de superstitibus Tragicis et Aristophane didascalica supersunt, videntur magna ex parte Aristophanis Byzantii commentariis deberi [171]."

Jam ad alteram studiorum Aristophaneorum partem, ad commentarios critico-exegeticos transeamus. Ad minimum bina fabularum exempla praesto grammatico erant. Absque dubio magnum Alexandri Aetoli exemplum cum Attico illo comparabat, quo satis magnam scripturae varietatem ac discrepantiam exstare facile intelligeret. Adhibitis autem accentus signis, modo apographum Athenas mis-

171) Corp. Inscr. I. p. 350. De reliquis, quae supersunt argumentis, quaeque plerumque fragmenta apparet esse, infra exponam, ubi de scholiis superstitibus sermo erit.

sum iis ornatum esse certum est, invito librario lectionis varietates sexcentis locis adauctae sunt. Quae vero lectiones aut ipsi Aristophani aut ejus aetati debeantur, earum partem supra enumeravi. Etiam universa temporis conditio ut critica ars accederet ad Tragoedias, flagitabat. Praeterquam quod grammatici Alexandrini criticae exercendae studio flagrabant, etiam trium Tragicorum fabulae quae per tam longinquum tempus quovis modo depravatae essent manu medica indigere visae sunt. Verumtamen crisis Homerica cum tragica componi nunquam potest: neque quid in Homericis carminibus sanandis atque in integrum restituendis praestare Grammatici debuerint, id in Tragicorum operibus poterant praestare. —

Aristophanem igitur in Aeschylum commentatum esse ipsa quidem scholia non tradunt. Atque omnino Aeschyli scholiastae, quid antiquioribus Grammaticis debeant, quid recentioribus, aut consulto, ut apparet, aut memoriae incuria dissimulant. Nihilominus, qui tam sedulo fabularum Aeschylearum argumenta enarravit, eundem et ipsa poetae verba accurate tractasse atque explicuisse certum est: eoque magis opinor quo certius est, eundem grammaticum commentatum in reliquos Tragicos esse. — Neque adeo Sophoclis scholiastae grammatici faciunt mentionem. At quid moror scholiastas? qui ex omnibus Aristophanis operibus ne unum quidem proprio obtutu conspicere potuerint. Athenaeus XIV, 619б citat Aristophanis *Ἀττικὰς λέξεις*, quas si exempla sequimur ab Erotiano (lexic. Hippocr. p. 118), Photio s. *μασχαλίσματα*, Eustathio p. 877, 51 allata, potissimum sententias vocesque Tragicis usitatas explicuisse apparet. Ita etiam vocum Homericarum lexicon composuit praeterquam quod diligentissime quavis ratione commentatus in carmina est. — Scholia denique Euripidea, quantam operam ut Tragoedias illustraret dederit grammaticus, luculentissime ostendunt. Schol. Orest. 1030: *γόνον] γράφεται καὶ δόμον. οὕτω γὰρ καὶ Καλλίστρατός φησιν Ἀριστοφάνη γράφειν.* Schol. Or. 1274: *ἐκκεκώφηται] Ἀριστοφάνης δὲ γράφει ἐκκεκώφωνται ξίφη.* Orest. 703: *Ἄργους] τὸ δὲ Ἄργους γράφεται καὶ Ἄργου, ἵν' ᾖ Ἄργου*

γαῖαν. Ἀριστοφάνης δὲ μετὰ τοῦ σ. Schol. Troad. 44: Γαμεῖ βιαίως] Ἀντὶ τοῦ γαμήσει. σεσημείωται καὶ μηκέτι αὐτῆς οἰκουμένης. ὑπώπτευκε γὰρ Ἀριστοφάνης ἐκ τούτου. νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει. — Quae quidem loca admodum sufficiunt, ex quibus rationem studiorum criticorum possimus intelligere. Alia loca, quomodo sententias vocesque Tragicas interpretatus sit, demonstrant: nimirum Schol. Hippolyt. 170. τήνδε κομίζουσ'] τοῦτο σεσημείωται Ἀριστοφάνης, ὅτι κατὰ τὸ ἀκριβὲς τὸ ἔγκλημα τοιοῦτον ἐστὶ τῇ ὑποθέσει. ἐπὶ γὰρ τῆς σκηνῆς δείκνυται τὰ ἔνδον πραττόμενα, ὁ δὲ ἔξω προϊοῦσαν αὐτὴν ὑποτίθεται: fortasse etiam Schol. Hipp. 607: Ἀριστοφάνης καθολικώτερον νοήσας φησὶ, τὸν Εὐριπίδην ὑβρίζειν τῆς γλώττης τὴν διάνοιαν, ὡς ἂν μὴ τὰ δόξαντα τῇ κρίσει τῆς διανοίας φθεγγομένης: quamquam Matthiaeo ad Ran. 102: γλῶτταν δ' ἐπιορκήσασαν ἰδίᾳ τῆς φρενὸς respicere visum est. Multo certius schol. Or. 478: πᾶν τοὐξ ἀνάγκης] ὁ δὲ Ἀριστοφάνης φησὶ, πᾶν τὸ ἐξ ἀνάγκης γινόμενον δοῦλοῖ, οἷον ταπεινοῖ κατὰ τὴν τῶν σοφῶν κρίσιν: ad grammatici commentarios pertinet. — Praeterea Eustathius, scholiasta Aristophanis, alii, quam sedulo Euripidem illustraverit, ostendunt [172]). — Qui vero? qui in Euripidis fabulas quavis ratione commentatus est, num is reliquos Tragicos ad quorum singulas quasque fabulas argumenta scripserat, alioquin negligere potuit? Quorsum tandem commentarii isti plurimi, quas Suidas memorat, pertineant, quum Aristophanem inprimis poetas Graecorum celeberrimos illustrasse constet? Num, ut etiam hoc moneam, opus Ἀττικῶν λέξεων glossarii instar reliquos Tragicos Sophoclem dico atque Aeschylum comprehenderit viceque plenioris commentarii functum sit? —

---

172) Eustathius p. 429. 50 et p. 1761, 39. Schol. Ar. Av. 347. Quam accurate Arist. Sophoclem interpretatus sit, docet etiam Anonym. Vit. Sophocl., ubi de numero fabularum Sophoclearum loquitur. Pertinet denique ad studia scenica scriptio quoque Ar. περὶ προσώπων, de qua cfr. Meinek. Q. Sc. III. p. 4. —

Denique ad metra quoque, quibus usi Tragici essent, grammaticus animum advertit. Iam enim nova scribendi ratio, ut metra accurratius observarentur, postulabat: similemque Grammaticus in Pindari carminibus posuit curam. Quamquam si quid aliud, chorica systemata a Grammaticis, licet permultos de metris scripsisse constet, neglecta sunt [173]).

Commentarios autem Aristophanis Byzant., glossaria et quae ad Tragicorum interpretationem pertinuerint opera, usurpata a scholiastis esse nego. Pleraque ejus scripta discipuli demum publici juris videntur fecisse, inprimis Callistratus Atheniensis. — Unde Grammatici commentarios in Aeschylum ac Sophoclem neglectos esse suspicari possis. —

Callistratus Aristophanis commentarios nisi ediderit certe diligenter pervolvit, atque ad praeceptoris celeberrimi judicium suum ipsius accommodavit [174]). Scholiasta enim Eurip. Orest. 1030 refert: *οὕτω καὶ Καλλίστρατός φησιν Ἀριστοφάνη γράφειν.* Quocum si comparas schol. Homer. Il. τ, 327: *καὶ Ἀριστοφάνης προηθέτει τὸν στίχον, ὥς φησι Καλλίστρατος:* et γ. 18: *οὕτως καὶ ἡ Ἀριστοφάνους καὶ ἡ Καλλιστράτου:* profecto grammatici opera per Callistratum discipulum cum posierioribus grammaticis communicata esse colligas. Verumtamen Callistratus proprios quoque in Tragicos commentarios scripsit. Ac scholia quidem Euripidea eum saepius laudant, ut Orest. 304 et 324, quae adscribo integra, quippe grammaticum varia ratione Tragicum illustravisse ostendunt. Igitur schol. Or. 424 ipsa Callistrati verba affert: *ἐν δὲ τοῖς Καλλιστράτου γέγραπται· ἐπιζητήσειεν ἄν τις, πῶς διὰ τριῶν εἰρήκει, εἰ μὴ διὰ τὸ τὸν Ἀγαμέμνονα καὶ Ὀδυσσέα καὶ Διομήδη φάναι*

---

173) Cfr. Boeck. Praef. ad Schol. Pind. p. X. et p. XXXI. Alioquin enim carmina chori non gravissimis prae reliquis tragoediae partibus mendis scaterent.

174) Rankius Vita Aristoph. p. CV: „Quamquam enim Suidas enarrat, commentarios eum (Arist. Byz.) permultos conscripsisse: ‚συγγράμματα δὲ αὐτοῦ πάνυ πολλά' tamen certa reperiuntur signa, sententias ejus haud paucas non ex ipsius libris sed ex discipulorum demum scriptis innotuisse."

μετασχεῖν τοῦ φόνου Παλαμήδους: quae quidem λυτικὸν eum atque *ἐνστατικόν* fuisse ostendunt [175]. — Alterum contra scholium ad Orest. 304. *κἂν μὴ νοσῇς*] *Καλλίστρατος τὴν ἐκτὸς τοῦ σ γραφὴν διδάσκει, κἂν μὴ νοσῇ γὰρ, ἀλλά δοξάζῃ νοσεῖν, ἵν' ᾖ ἀπὸ τοῦ Ὀρέστου εἰς τὸ κοινὸν καταβεβηκὼς ὁ λόγος* — criticum manifestat; quamquam alius grammaticus, defensa vulgata lectione, addit: *ἔστι δὲ τοῦτο κακόσχημον* (*καινόσχημον* Gu.), *εἰ καὶ ληρῶν* (omis. Gu.) *ὁ Καλλίστρατος τὴν ἐκτὸς τοῦ σ διδάσκει γραφήν*. Aperte hic interpres tantum illius, qui Callistrati lectionem memorat, non ipsius Callistrati commentarium usurpavit [176]. Deinde Callistratus in Sophoclem quoque commentatus est, ut inprimis ex Hesychio colligo, qui s. *Ἰλλυρίς γυνὴ* haec affert: *ἀντὶ τοῦ Ἰλλυρίς γενεά. γράφεται δὲ καὶ γυνή. ὁ δὲ Καλλίστρατος γύη ἀντὶ τοῦ γῆ. χρῶνται γὰρ οὕτως. Σοφοκλ. Τριπτολέμῳ.* Eodem duce Hesychio s. *ἐλεινός*, *θρώσκω γνῶμα*, *Παρνόπη*, *Κυδρός* [177] Callistratum *γλωσσῶν* opus scripsisse arbitror: quo potissimum tragicas comicasque voces illustraret. Nihilominus tamen eum singulares quoque in Tragicorum fabulas commentarios scripsisse nullus dubitem. Denique si omnem, ut videtur, Aristophanis praeceptoris doctrinam pro virili parte excoluit, facillime eumdem etiam Aeschylum tractasse et illustravisse conjicias. At illud affirmare me posse credo, quod in *συμμίκτων* opere, in quo ceteroquin de poetis egit, ea, quae Scholiastae Hesychiusque afferunt, non habuerint locum [178].

---

175) *Λυτικοὶ* plerumque etiam *ἐνστατικοί*. — Lehrs. de Aristarch. stud. H. p. 200 sqq. 226 sqq.

176) Insolentius fateor dictum est *διδάσκει*. Etiam h. l. Aristophanis sententiam a Callistrato enarratam esse suspiceris, quam discipulus suis ipsius discipulis traderet.

177) Verba Hesychii s. *Κυδρός* corruptissima illa ab interpretibus lexicographi pervaria ratione emendata sunt. Certe de tragico sermonem fuisse apparet, sive Jon fuit, sive Euripides. S. v. *Παρνόπη* discimus Callistratum fuisse Atheniensem.

178) Sextum *συμμίκτων* laudat Erotian. Lex. s. *χειαί*: septimum Athenaeus III, 125b. — Cf. etiam Harpocration. et

Aristarchus Samothrax a scholiastis quidem semel tantum commemoratur ad Euripid. Rhesum v. 541: *Κίλικας Παίων*] — *Οἱ μὲν τοὺς Κίλικας καὶ τοὺς Παίονας αὐτοὺς* (Vaterus *τοὺς αὐτ.*) *ἤκουσαν. Ἀρίσταρχος δὲ Κόροιβον Παιόνων ἡγεμόνα, καὶ τὴν φυλακὴν ποτε μὲν ἀπὸ τοῦ ἡγεμόνος, ποτὲ δὲ ἀπὸ τῶν ὑπηκόων* [179]). — Scholium nisi mendis laborat, historicum est; atque Aristarchus aliam ac reliqui grammatici interpretationem affert. Ita saltem scholiastae videtur, unde tamen non colligas, qui h. l. audiunt *οἱ δὲ*, eos fuisse Aristarcho antiquiores. Verumtamen, quamquam scholiastae Aristarchi nomen cum aliis innumeris dissimulant, aliunde scimus *τὸν γραμματικώτατον* etiam in tres Tragicos commentatum esse. Itaque a scholiasta Theocriti X, 18 citatur *Ἀρίσταρχος ἐν ὑπομνήματι Λυκούργου Αἰσχύλου.* Si ad hunc commentarium Hesychium s. *ἐναραφόρος* respicere dicis, quum primum Odysseae locus cum Aeschyleo comparetur, profecta non magnae possis audaciae coargui. — Lubet etiam scholium Arist. Ran. 1302 saepius citatum iterum citare: *Ἀπολλώνιος καὶ Ἀρίσταρχος ἐπισκέψασθε, πόθεν ἐστί. Τιμαχίδας δὲ ἐκ Τηλέφου Αἰσχύλου, Ἀσκληπιάδης δὲ ἐξ Ἰφιγενείας.* — Disertius argumentum requirere non potes. Scholiasta ad summos Aeschyli judices provocat. —

Aeque certa de commentariis in Sophoclem scriptis res est, si Harpocrationem audimus s. *Δερμιστής: Ἀρίσταρχος τὸ Σοφόκλειον ἐξηγούμενος τὸν ὄφιν ἀπέδωκε* [180]): et s. *ἐλαιοῦται θρίξ: Σοφ. Τρωΐλῳ. Ἀρίσταρχος ῥυπαίνεται βέλτιον δέ· λαμπρύνεται.* Hesychius autem s. *Λυκοκτόνου θεοῦ: Σοφ. Ἠλέκτρᾳ* (v. 6.) *Ἀρίσταρχος διὰ τό τὸν θεὸν νόμιον εἶναι καὶ τὴν τῶν βοσκημάτων φυλακὴν ποιούμενον τὸν Ἀπόλλωνα ἀναιρεῖν τοὺς λύκους. ἔστι γὰρ ὁ λύκος*

Suid. s. v. *ἁπλᾶς* et Bekkeri Anecd. p. 425, 12. — Etiam alia grammatici scripta ab interpretibus usurpata ut opus *περὶ Ἡρακλείας*, schol. Aesch. Pers. 933.

179) Cfr. Vateri Prolegom. ad Eurip. Rhes. p. VII sq.

180) Cfr. Bekkeri Anecd. p. 240, p. 14 et plerosque veteres lexicographos.

ἱερὸν Ἀπόλλωνος. Ad quam quidem Aristarchi explicationem scholiasta ad El. v. 6. procul dubio respicit, ubi vocis Λυκοκτόνος varias affert veterum grammaticorum interpretationes ut non dubites integrum scholium vel a Didymo esse conscriptum. — Quae tamen omnia criticarum Aristarchi curarum profecto non sunt specimina. At posteriores demum grammatici, quod tam pauca nobiscum ex Aristarchi studiis Tragicis communicarint, reprehendendi sunt. —

Idem denique Harpocration ad Euripidem quoque Aristarchi commentarios extitisse ostendit s. διεκωδώνισε: ἡ μεταφορὰ ἤτοι ἀπὸ τῶν περιπολούντων σὺν κώδωσι νυκτὸς τὰς φυλακάς, Εὐριπίδης Παλαμήδει, ἢ ἀπὸ τῶν δοκιμαζόντων τὰς μαχίμους ὄρτυγας τῷ ἤχῳ τῆς κώδωνος, ὡς Ἀρίσταρχος. Ne quis Aristarchum Tegeatam poetam Tragicum laudatum esse putet, ipsa vetat loquendi ratio, quae alioquin alterum ὡς ante Εὐρ. Παλαμήδει postulasset. Nunc vero aut uncinis includenda verba sunt, ut significent unde sumta vox διεκωδώνισε sit, aut omnino, quod melius apparet esse, sic scribendum est: διεκωδώνισε: Εὐρ. Παλαμήδει· ἡ μεταφορά. et quae sequuntur. Quod superest, schol. Eur. Phoen. 126, nisi ad aliud nescio quod Grammatici opus respicit, etiam in commentario Euripideo locum habuisse concedas. Fortasse enim Aristarchus perbene intellexit, quatenus critica Tragicorum fabulae indigerent: intellexit eas potissimum historicam atque aestheticam postulare interpretandi rationem. Quare Tragicos critico studio supra modum non vexaverit. Nihilominus eos pervaria ratione interpretatus est. — Ita metris choricorum systematum constituendis multam dedit operam. Scholiastae quidem Tragicorum iterum tacent: attamen ex Aristophanicis scholiis huc quadrant Scholl. Ran. 356, 374. Equit. 569. — Porro grammaticum etiam didascalica scripsisse contendit Boekhius l. l.: „Alia possunt ex Aristarchi et Cratetis didascalicis propagata esse [181]).“ — At disertis fateor argumentis careo. Exemplis autem fabularum quae

181) Vid. Rankium l. l. p. 162.

tum temporis Alexandriae erant, omnibus Aristarchum usum esse non est quod moneam: ita opera quoque didascalica sine dubio usurpavit. Verumtamen quaestiones didascalicas non singulari opinor libro tractavit [182]). —

Crates Pergamenus cujus fidem bene defendit Vaterus [183]) sine dubio didascalica scripsit. Meinekius Quaest. Scen. III. p. 5 Pergamenorum ἀναγραφὰς δραμάτων quam Athenaeus l. VIII. p. 336 e memorat summo jure ad Cratetem refert. Boeckhii sententiam paullo ante adscripsi. Cratetis igitur opus — cogito enim de singulari opere [184]) — Callimacheo illi simillimum videtur fuisse: ita ut Grammaticum, modo ipsa didascaliarum monumenta collegerit et descripserit, mediaeque illa novaeque comoediae descripsisse arbitrer. Verumtamen eundem saltem opera didascalica antiquiorum Grammaticorum pervolvisse, ubi antiquissimas didascalias cognosceret, Scholiasta Euripid. Rhesi v. 528. docuit: Κράτης ἀγνοεῖν φησι τὸν Εὐριπίδην τὴν περὶ τὰ μετέωρα θεωρίαν, διὰ τὸ νέον ἔτι εἶναι ὅτι τὸν Ῥῆσον ἐδίδασκε κτλ [185]). — Qui vero? Num scholiasta revera Pergamenum laudaverit grammaticum; an illum potius qui a scholiasta Sophoclis Oed. Col. v. 100 cum

---

182) Boeckhii sententiam firmare videtur Proclus Prolegg. Hesiod. p. 3, quo duce etiam Aristarchum ὑποθέσεις fabularum scripsisse possis contendere.

183) Dionys. Halicarn. A. R. V. p. 630 Reisk. πίνακας Criticorum Pergamenorum memoravit. Catalogo autem librorum bibliothecae Pergamenae etiam didascalica annexa esse apparet. Vid. Vateri Prolegom. ad Eurip. Rhesum p. 68 sqq.

184) Ita, ut πίναξ διδασκαλιῶν fortasse majoris operis particula fuerit, singulari volumine conscripta.

185) Ita verissime emendavit Elmslejus ad Soph. Oed. Colon. v. 1518 not. qui egregie dixit: „Si juvenis Rhesum docuit Euripides, non mirum eam caeteris ejusdem poetae tragoediis tam dissimilem esse.“ Unde verba quoque illius qui argumentum scripsit, lucem accipiunt: τὸν Σοφοκλεῖον μᾶλλον ὑποφαίνει χαρακτῆρα. Ipsius autem argumenti Aristophanem Byz. auctorem esse supra conjeci.

Philochoro et Polemone una memoratur? — Namque Cratetem Atheniensem Polemonis in Academia successorem etiam περὶ κωμῳδίας scripsisse refert Apollodorus apud Diogenem Laert. IV, 23 [186]). — Verumtamen in scholio Euripideo cum Cratete Parmeniscus una nominatur: atque Scholiastae ubi diversas interpretum sententias referunt plerumque eos, qui aetate fere aequales sunt, inter se comparant. Quapropter Mallotam a scholiasta laudatum esse nullus dubito. Ita reliqua quoque scholia ad Eur. Or. 1226, Phoen. 211 ad eundem grammaticum refero: quae quidem si comparas scholl. Il. λ, 741. ο, 496. ψ, 479. aeque bene e Cratetis commentariis sumta esse possunt. Denique Mallotam ab Jo. Tzetze (περὶ τραγικῆς ποιήσεως v. 145 in Nov. Mus. Rhen. IV. p. 407) laudari, jure censet O. Muellerus Nov. Mus. Rhen. V. p. 359. — Una cum Cratete laudatur *Euclides* quidam, ad cujus auctoritatem idem Tzetzes saepissime provocat. Probabilem de hoc grammatico alioquin ignoto conjecturam Muellero debemus l. l. p. 358 et not. — Igitur, quantum e Tzetza colligere possumus, Crates ille etiam de arte dramatica, de fabularum compositione librum composuit. Majoris tamen momenti videtur Euclidis opus Tzetzae fuisse, ut jacturam scriptionis profecto doleas. — Certissime Tzetzes ipso Euclidis opere usus est, ipsum illud quasi compilavit. Quapropter, quamquam et ipse Muellero assentior, atque Euclidem ante Didymum vixisse arbitror, possis tamen de Euclide quodam recentiore suspicari. Denique Tzetzes, licet, qua erat verbositate, adderet: ἄλλοι τε πολλοὶ τῶν λόγοις διηρμένων: potuit tantum Euclidis librum, quippe in quem Cratetis sententiae receptae essent, usurpare.

Crates, quibus tandem fabularum exemplis usus sit, numque omnes trium Tragicorum fabulas usurpaverit, incertum est. Pergami autem quartam fabularum collectionem extitisse admodum verisimile est; quamquam cujus

---

186) Ejusdem Cratetis ποιητικὴν fuisse arbitror, quam Demetrius de elocut. §. 172 laudat. Vid. Fabric. Bibl. Gr. II. p. 294. Harl.

demum priorum editionum apographum fuerit nescitur. Verumtamen si quantum commercium inter Pergamenos philologos atque Alexandrinos illos fuerit respicimus, Cratetem Alexandrinis exemplis usum esse eaque transcripsisse probabile est. — Unde elucet opinor, grammaticum tres Tragicos, non unum ut videtur Euripidem pari studio esse amplexum [187]).

Parmeniscum Aristarcheum Wolfius vocat in Prolegg. Hom. p. CCXLIV not. 30. Quem Cratetis Pergameni adversarium fuisse docet inprimis Schol. Hom. ϑ, 513: τούτων] Παρμενίσκος ἐν τῷ ά πρὸς Κράτητα, ὡς Ἀριστάρχειον γραφὴν προφέρεται κείνων: cumque Aristophane et Aristarcho a scholiastis Homericis saepius memoratur: ut ad Iliad. ε, 638. λ, 424. ξ, 249. Etiam reliqua scholia ad ι, 197; σ, 100, 514 criticum manifestant. Contra quae Euripidis scholiastae ex ejusdem commentariis referunt ad Med. v. 10, 276; Rhes. 510, 528 (bis); Troad. 218 et 225 ea omnia historicae interpretationis specimina sunt. Verum Parmeniscus qualem tribus Tragicis dederit operam ex ipsius Aristarchi studiis dijudicare debemus. Quare eum eadem ratione cum Euripide etiam reliquos Tragicos illustrasse contendo [188]). —

Dionysodorus Alexandrinus, Aristarchi discipulus [189]), ἐν τοῖς παρὰ τοῖς τραγῳδικοῖς ἡμαρτημένοις laudatur Scholiastae Eur. Rhes. v. 498. Scholium ita emendavit Vaterus: Θυμβραῖον] Παρὰ τὴν ἱστορίαν. ὁ γοῦν Διονυσόδωρος ἐν τοῖς π. τ. τ. ἡ. φησὶν οὕτως· ὁ δὲ Εὐριπίδης τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἄλσος τοῦ Θυμβραίου, στάδια ν' ἀπέχον τῆς πόλεως, μετὰ τῶν πυλῶν εἶναί φησι. Unde

---

187) Crates etiam Hesychio laudatur: nisi s. ἐνώπια Is. Vossius verius emendavit: Κράτης ἐν Ἡνιόχοις. At s. ἡμεροῦν Kusterus recte putat Grammaticum citari.

188) Ad eundem grammaticum respicit Etymol. M. s. Ἀρέω et Ἀγραφίης et Steph. Byz. s. Ἄλος, Ἔφυρα, Φθία.

189) Ut e schol. Hom. Jl. β, 111 colligas: καὶ τοὺς ἀπ' αὐτοῦ δὲ χρωμένους ἐστὶν εὑρεῖν τῇ γραφῇ, Διονυσόδωρον τὸν Ἀλεξανδρέα καὶ Ἀμμώνιον. — Ceterum scholium pluribus explicavit Lehrsius de Aristarchi stud. Homer. p. 21 sqq.

qualis operis indoles fuerit facile colligas: quod ad primam magis quam ad secundam hanc periodum pertinere dicas. Alia quoque Grammatici scripta a scholiastis Tragicorum memorantur, ut *Δ. ἐν τῷ περὶ ποταμῶν* ad Eur. Hipp. v. 121. — Ceterum alibi ejus mentio saepius fit [190]).

Denique e primorum Aristarcheorum numero exhibeamus ***Dionysium Thracem,*** quippe quem a scholiasta Eur. Orest. v. ult. laudari arbitreris: *Πρὸς διάφορα ἀντίγραφα παραγέγραπται ἐκ τοῦ Διονύσου* (marg. *γρ. Διονυσίου*) *ὑπομνήματος ὁλοσχερῶς καὶ τῶν μικτῶν.* Quod si ita se habet, habemus primum Commentarium, quem ab ipsis scholiastis usurpatum esse sciamus. Verum infra demum, ubi de scholiorum superstitum fontibus exponam, de istius scholii auctoritate pluribus disseram. — Alioquin commentariorum Dionysii Thracis profecto nulla vestigia. Namque Etymologus M. s. *Διονύσιος*, qui haec affert: *τὸν ἑαυτοῦ διδάσκαλον* (Aristarchum) *ζωγραφήσας ἐν τῷ στήθει αὐτοῦ τὴν τραγῳδίαν ἐζωγράφει, διὰ τὸ ἀποστηθίζειν αὐτὸν πᾶσαν τὴν τραγῳδίαν,* de Aristarchi studiis Tragicis nos certiores facit, Dionysii illa tacet. —

Satyrus Peripateticus vitam Soph. in *Βίων* opere descripsit [191]). Saepius laudatur Vitae Soph. Auctori Anon. ita ut eundem etiam de arte Sophoclea deque inventis Tragici scripsisse intelligas. Quidquid de nugis quae e Satyri opere a scriptore vitae afferuntur, cogitas; attamen G. Dindorfii nimis durum de biographis judicium non sub-

---

190) Vid. Diog. L. IV, 22 et II, 42. Suid. s. *σεμνυνόμενος*. Athenae. XI, 506. Schol. Apollon. Rhod. I, 907. schol. Theocr. V, 21. Fortasse idem Rhetor est, quem Lucianus memorat: Symposiac. 6, 39: idem denique qui Ptolemaei primi epistolas collegit: Lucian. pro lapsu in salutando. cp. 10. — Alius *Διονύσιοδ.* historicus apud Diod. Sic. XV, 95.

191) De Satyro vid. Jonsium Scr. H. Ph. II, 3, 6. Vossium Hist. Gr. p. 50 et 410 sq. — *Βίων* operis saepius meminit Athenaeus VI, 250 f. XII, 541 c. XIII, 584 a. V. Schol. Ar. Rann. 73.

scribo. Ipsi enim biographi decipiebantur magis quam de suo deciperent [192]). —

Carystius Pergamenus ἐν τῷ περὶ διδασκαλιῶν laudatur Athenaeo VI p. 235 e. Rankio, qui (l. c. p. 164) novam monumentorum collectionem factam a Carystio esse negat, assentior. Eadem dudum Boeckhii erat sententia. — Carystius autem non solum de comicis didascaliis sed de tragicis quoque scripsit. Quibus tandem operibus didascalicis numque pluribus usus sit, incertum est. Quamquam eum tantum ejusmodi unum opus usurpavisse verisimilius. Suidas enim Sophoclem vicies quater, Diodorus duodevicies, Carystius denique vicies vicisse referunt. Quae quidem numeri varietas e variis monumentorum collectionibus exorta videtur esse. Diversos numeros componere studet Ferd. Schultzius Vit. Sophocl. p. 57. Parum probabile. Namque certissimum est, Sophoclis fabulas etiam post mortuum poetam victoriam sibi saepius conciliasse. Monumenta autem didascaliarum usque dum fabulae agerentur, continuo exstructa sunt [193]). — Unde alius victorias vivo Sophocle reportatas consignaverit, alius victorias addiderit postumas. — Ceterum ipsa numeri varietas praeter Aristotelem etiam plures didascaliarum monumenta collegisse ac descripsisse ostendit. —

An ***Asclepiades Myrleanus*** Tragicorum interpres fuerit incertum est. Nam quae a scholiastis Euripidis omisso operis nomine afferuntur, ea omnia e Tragilensis Τραγῳδουμένοις sumta esse supra ostendi. Veruntamen eum Tragicos accurate cognitos habuisse abunde docent Scholl. Arist. Rann. 1302 (8), 1355 (66), 1267. —

De ***Apollodoris*** optime Heynius disputavit (ad Apollod. frgm. p. 1172 sqq.). E quorum numero duos exhibeamus: Tarsensem et Cyrenaeum. —

Apollodorus Tarsensis qua aetate vixerit incertum est. Certe Didymo antiquior est: ut e scholl. Med.

192) G. Dindorfii ad Soph. Trag. Annott. p. 185. —
193) Cfr. Boeckh. Corp. Inscr. I, 353 n. 231.

Eurip. v. 149, 171 patet. Quae demum scholia eum λευκὸν fuisse ostendunt; at potuerunt eadem verba in commentario perscripta perbene esse. Ceterum prius scholium e posteriore sumtum est; unde Didymum contrariam Tarsensi explicationem protulisse non dubito. — Apollodori Tarsensis alibi, si excipis scholiastas Aristophanis Com., mentio facta non est. Plerumque enim ubi praetermisso cognomine Ἀπολλόδωρος quidam citatur, illustris ille Atheniensis videtur citari: ut Etymol. Gudian. p. 321 s. v. κίκυς Atheniensem intelligit, quem opus Etymologicum composuisse scimus (Heyne Apollod. 1144 sqq.) — Ita in Sophocleis scholiis tantum Atheniensis memoratur. Cujus grammatici bibliotheca, quam hodieque legimus, cum similibus operibus Asclepiadae, Pherecydis, Demarati, aliorum saepissime usi interpretes ac scholiastae sunt. — Diversus denique a Grammatico Ap. Tarsensis, poeta Tragicus (Heyne l. c. p. 1174). —

Item ***Apollodori Cyrenaei*** aetas dubia. Citatur in schol. Eur. Or. 1369 una cum Didymo. Verum ubi aliorum Grammaticorum interpretationes cum Didymi illis afferuntur, plerumque grammatici Didymo antiquiores sunt. Quapropter non Pamphilo glossographo, ut Athen. XI p. 487 b. docet, sed etiam Didymo Magno antiquiorem Ap. Cyrenaeum esse contendo. — Ipsum autem scholium et commentarium eum in Euripidem scripsisse et qualis indolis fuerit iste, patefacit. Quamquam verba scholiastae: *εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι αἰτίαι, ἃς ἐπιτίθεται ὁ ὑπομνηματισάμενος*, ad Didymum refero. — Denique etiam ***Ap. Atheniensem*** quaestiones dramaticas sedulo tractasse, docent ipsius scripta *περὶ Σώφρονος* et *περὶ Ἐπιχάρμου*.

Amaranti Alexandrini *περὶ σκηνῆς* librum laudat Athenaeus VIII, 343 c. et X, 414 f. Incertae aetatis scriptorem Meinekius Qu. Sc. III p. 7 nominat; certe si ipsius operis inscriptionem animadvertimus, eum vel ante Didymum vel ejusdem aetate vixisse probabile est.

Ita ***Pium*** quoque, interpretem Sophoclis, ut schol.

Soph. Ajac. 408 docet: *Δίπαλτος· ἀμφοτέραις ταῖς χερσίν, οἷον περιδεξίως με φονεύοι· πάντη σθένει, ὡς Δίδυμος· ἢ ὁ στρατός με φονεύοι, λαβὼν τὰ δίπαλτα δοράτια, ὡς Πῖος φησίν* — paullo ante Didymum floruisse arbitror, vel eodem ferme tempore. Romanus graece eruditus videtur fuisse. Homeri interpretem manifestat Servius Virg. Aen. V, 735; Etym. M. s. *περιῤῥηδὴς* et *ὡμήρησεν*. Schol. Od. *η*. 225. *θ*. 372. *χ*. 84. — At vixerit Pius etiam seriore tempore, nimirum aetate Alexandri Cotyaeensis, modo vera est Buttmanni (Praef. ad Schol. Hom. Od. p. XIV) emendatio. Ipse ille Alexander Cotyaeensis in Euripidem videtur commentatus esse. Etym. enim M. s. *ἁρμάτειον μέλος* interpretationis satis longae auctores affert Didymum et Alexandrum, quem Cotyaeensem esse optime censet Lehrsius (Quaest. Epp. p. 13). Nihilominus etiam haec notionis *ἁρμάτειον μέλος* interpretatio, ut nunc se habet, bene ex opere illo magno Alexandri *Παντοδαπῶν* s. *Περὶ παντοδαπῆς ὕλης* deprompta potest esse. (Cfr. Stephan. s. *Κοτυάειον*. Schol. Hom. Il. ξ. 241). Ceterum Aristides *Λόγ. ἐπιτάφ.* Or. XII vol. I p. 142 Dind. copiose enumerat scriptores Graecos, quos clarus ille grammaticus illustraverit. (Cfr. Lehrs. l. l. p. 8 sqq.)

Qua tandem aetate ***Horapollo***, cujus *ὑπόμνημα Σοφοκλέους* memorat Suidas s. v. *Ὡραπ.* vixerit, nescio. At modo idem fuerit cum poeta illo tragico Alexandrino, quem Photius Bibl. p. 536a. 15 laudat, eum ante Didymum vixisse certum est. —

Denique Didymi aetate ***Philostratus*** floruit ***Alexandrinus***, Sophista cognominatus (Suid. s. *Φιλ. ὁ σοφιστής*), quem *περὶ τῆς τοῦ Σοφοκλέους κλοπῆς* scripsisse Porphyrius apud Eusebium Praep. Evang. X, 3 refert. Profecto enim, quo ipse librum referam, nisi ad hunc demum virum nescio. — Cum Philostrati scriptione aliam liceat comparari alius grammatici: ***Ptolemaei*** inquam ***Pindarionis*** (cfr. Suid. s. v.) qui *τὰ ὁμοίως εἰρημένα τοῖς τραγικοῖς* singulari libro composuit. Neque utrumque artis

criticae specimina exhibuisse putem. — Ceterum fastidiosam Matteri (Essai histor. I p. 251) annotationem perstringere debebat Parthey (v. Mus. Alex. p. 134).

Hi fere sunt Grammatici, quos per secundam hanc interpretationis Graecae aetatem sive junctim in tres Tragicos sive in unum e tribus alterumve commentatos esse e certis indiciis potui colligere. Verum quod ex ingente illa grammaticorum Alexandrinorum acie tam paucos nominaverim, noli quaeso mirari. Plures enim quominus afferam et scholia vetant antiqua et reliqui scriptores veteres, qui malo nobis damnoque nomina interpretum operave dissimulaverunt. Verum enimvero ut in secundae periodi feci descriptione et ipse consulto praetermisi glossographos, metricos, musicos, ne mero nominum catalogo lectores offenderem. Namque illorum virorum, quos in alienis operibus etiam Tragicos tragicamque artem illustravisse suspicari possis, unicuique famosum illud: Fortasse, vel: videtur, praeponere paene ridiculum foret. — Quare pauca de universa hujus aetatis indole et conditione addam. Liceat autem secundam hanc interpretationis aetatem criticam appellare. Iterumque ut ne Homericam interpretationem cum scenica compares monere sufficiat. Exceptis enim λύσεων istis difficiliorum quaestionum glossisque Homerica scholia a Tragicis ne dicam a quibusvis aliis toto coelo distant. Quippe Homerum Grammatici quasi novum reddere coacti erant; quique de ipso auctore tantopere dubitabant, de totaque carminum forma, ii profecto singula verba innumeris locis addubitare debebant. Tragicorum contra interpretes paene idiographa poetarum ante oculos habebant: et quamquam, ubi histrionum vel librariorum, vel ineptorum criticorum curas refutare studebant, criticae artis specimina exhibebant, plerumque tamen historicae, aestheticae, grammaticae interpretationi studuerunt. —

Denique quam maximam fabularum copiam tantum Alexandrinis praesto fuisse constat: immo quae tunc trium Tragicorum fabulae superfuerint, eas prorsus omnes usurpatas ab illis esse certissimum est. Namque in alteram fabularum collectionem; exstabant autem ut alibi monui

quattuor, receptae eae erant quibus altera carebat. Idque persuasissimum mihi est, si quae fabulae neque in Attico-Alexandrinum, neque in Pergamenum, neque quod obiter nomino in Alexandri Aetoli illud exemplum receptae fuerint, eas quam celerrime periisse. — Jam vero, quum ad manum Alexandrinis fabulas fuisse constet, utrum omnes illas illustraverint Grammatici quaeritur an potius singulas singulari studio amplexi sint? Ad quam quidem quaestionem per se difficillimam profecto nihil respondeas nisi illustrata ad unum omnia dramata esse, atque illa ab omnibus, qui huc pertinent, grammaticis, illa a plerisque, illa demum a nonnullis, alia denique ab uno solummodo grammatico. — Aliter enim delectum fabularum quas hodieque legimus, qua tandem ratione factus sit, aliter ne scholiorum quidem superstitum conditionem tam inaequalem et quasi deformem intelligere non queo. —

Alia superest quaestio: num Alexandrini dramatum exemplum Atticum apographis factis multiplicaverint: an potius eorum commentarii ad unius ejusdemque exempli auctoritatem accommodati sint? Si de variis apographis cogitare velimus, etiam de variis recensionibus cogitandum nobis est. Apographa enim aut ab ipsis grammaticis illustribus aut eorundem saltem auctoritate atque auspiciis a scribis confecta sunt. Unde recensiones extitisse Aristophaneam, Aristarcheam, Crateteam etc. sequeretur. Verumenimvero conditionis transcribendi universae nulla habita ratione, nisi in singularem quendam usum — cogito e. g. de bibliothecis privatorum — hic ille transcripserit vel transcribi exempla jusserit, magnum illud Atticum exemplum suffecisse Grammaticis contendo. *Πολλὰ* enim *ἀντίγραφα* quae a scholiastis passim memorantur, Didymo recentiora procul dubio sunt. Quamquam hoc contrariam alicujus sententiam non bene refutat. Verum quotquot extra Alexandriam exstabant exempla, quotquot praeter Graecos vel ipsi Romani possidebant; ipsos tamen Alexandrinos pluribus dramatum exemplis non indiguisse apparet. —

Usi igitur Alexandrini Lycurgeo exemplo, sequuti Lycurgeam recensionem sunt. Apographum autem Athenas

nostrum prae Lycurgeo neglectum est, multoque prius nescio quo fato periit. Ac nusquam ut hoc quoque moneam Alexandrinorum ἀντίγραφα, continuo ὑπομνήματα laudantur. Quaeritur tandem, quamnam fabularum recensionem etiamnum probabiliter legamus? Quibus uti possumus testimoniis ea pro Lycurgeo exemplo omnia loquuntur: de grammatici alicujus recensione, quippe quam sequuti sint posteriores Grammatici, nihil referunt[104]. — Contra singulorum Grammaticorum hypomnemata fabularum simul criticas recensiones continuisse sat multa docent scholia. Sed haec hactenus. Infra ubi de scholiis agemus pluribus haec exponemus.

104) Fritzschius Praef. Ed. Ar. Thesmoph. p. XIII recensionem Sophoclis, quae aetatem tulerit, ab Aristophane Byzantio profectam esse, plures ob caussas, quas tamen et ipse tacet, suspicatur.

Caput quartum.

Didymus Chalcenterus magis singulari illa diligentia atque eruditione quam ingenii acumine inter omnes omnium temporum grammaticos excelluit. Nobismet maximi aestimandus propterea est, quod priorum grammaticorum curas atque interpretationes accuratissime animadvertit cumque posteriorum temporum Grammaticis communicavit.

Tragicos Graecos duplici opera attigit. Praeter opus enim *περὶ τραγῳδουμένης λέξεως*, licet maximi fuerit voluminis [195]), etiam in unumquemque trium Tragicorum singulares eosque receptis antiquiorum interpretum animadversionibus refertissimos scripsit commentarios. — Quam quidem sententiam quo melius defendam, interpretationes quibus Didymi nomen adscriptum est, singulas afferam, quippe quarum partem tantum in lexico tragico, partem tantum in justo commentario eoque tum critico tum exegetico aptum habuisse locum consentaneum sit. — E Lexico igitur tragico sumta est interpretatio, quam Macrobius Saturn. V, 18 nobis integram servavit: quam quidem e lexico aliquo depromptam esse diceres, etiamsi auctoris librique nomen periisset: *Ἀχελῷον πᾶν ὕδωρ Εὐριπίδης φησὶν ἐν Ὑψιπύλῃ. λέγων γὰρ περὶ ὕδατος ὄντος σφόδρα*

195) Vid. Harpocration. s. ξηραλοιφεῖν.

πόῤῥω τῆς Ἀκαρνανίας, ἐν ᾗ ἐστὶ ποταμὸς Ἀχελῷος, φησί· Δείξω μὲν ἀργεννοῖσιν Ἀχελῴου ῥόον. Verum ubi scholia in tres Tragicos considero, admodum manca ne dicam nulla reperio lexici tragici specimina. Quot enim interpretationes — laudatur grammaticus saepissime a scholiastis cum Sophocleis tum Euripideis — Didymi auctoris nomine gaudent, tot e commentariis sumtas esse mihi non dubium. Namque in opere περὶ τραγῳδουμένης λέξεως quasi dialectum poetae singularemque loquendi rationem exposuit atque exemplis e fabulis allatis firmavit. Quapropter schol. Oed. Col. v. 156: Ἀλλ' ἵνα μὴ προςπέσῃς] Ἀντὶ τοῦ, μή προςπέσῃς. Καὶ κατὰ τὴν ἡμετέραν συνήθειαν εἰώθαμεν λέγειν οὕτως, ἵνα παραγένῃ πρὸς ἐμέ, βούλομαί σοι σημαίνειν. Οὕτω Δ: — lexicographum manifestare dicas. Ita schol. quoque Soph. Ajac. v. 408, in quo Pii, alius interpretis, mentio fit, ad idem pertineret opus, modo demonstrare possemus, Didymum etiam in λέξεσιν aliorum interpretum curas memorasse. Atque illud quoque scholium Oed. Col. aeque bene e commentario depromptum esse contendo: quo profecto nihil aliud demonstrem nisi ut infra, ubi de scholiastis agam, his ipsis, modo re vera Didymi scripta usurpaverint, tantum illius commentarios praesto fuisse eluceat. — Primum lexicographi vel glossographi non fuit, ὀβελίζειν τοὺς στίχους. Quare scholl. Soph. Oed. Col. 237: ὦ ξένοι αἰδόφρονες] Τὸ τῆς Ἀντιγόνης πρόςωπον ὅλον καὶ τὸ χοροῦ τὸ τετράστιχον ἀθετοῦνται — Οὐδὲν δὲ ἐν τοῖς Διδύμου τούτων ὀβελισθὲν εὕρομεν. Schol. Soph. Antig. 45. Τὸν γοῦν ἐμὸν] Δίδυμος δὲ φησὶν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι: aperte commentariis Didymeis debentur. — Nec fuit glossographi neque criticam factitare artem, neque aliorum interpretum animadversiones repetere refutareve; ergo scholl. Soph. Oed. Col. 736: Πεῖρα] βαρυτόνως ἀναγνωστέον πεῖρα, οὐ περισπωμένως· οὕτω Δίδυμος: tum Schol. Eur. Med. 149, 171, 276, 360, 383. Orest. 1369 ex iisdem grammatici commentariis sumta esse certissimum. — Denique ad scholl. quaeso Soph. Ant. 4. Eurip. Hecub. 719, 829, 870, 1005. Phoen.

748, 1748. Med. 732. Androm. 867 [196]) animum advertas, eaque ad unum omnia justi commentarii frusta esse dices. Nec possunt scholia in lexico aptum tenuisse locum, quippe in quo singula verba, non integrae verborum periodi, voces inusitatiores, non sententiae difficiles, res denique grammaticae historicaeque quatenus ad ipsum poetam poetaeque fabulas attinent, non criticae, omnino tractandae sint et explicandae. An, si haec etiam lexico tragico concedis omnia, quid interfuisse lexicon inter justumque commentarium putas? Equidem commentarium omnes omnino glossarii vices explevisse arbitror: ita ut, quum primum, quae modo attuli scholia, non possint non e commentario depromta esse, etiam illud ad Eurip. Med. 1079: *Αἰθέρα τὸ πόλεως] καὶ τὸν αἰθέρα ἐπιβεβηκώς· ὁ Δίδυμος τὸν ἐμπυρισμὸν ἀπὸ τοῦ αἴθεσθαι:* — eidem operi adnumerandum esse censeam. —

Jam vero, qualis tandem fuerit Didymi commentarius alia ratione pervestigabo. Ac scholia in Homeri Iliadem, inprimis in *β*. 111, *κ*. 45, 347, 441, *ο*. 86, *τ*. 76 sq. 81, 116, *φ*. 110, 663 grammaticum non solum pervolvisse cognitosque habuisse interpretum Epici antiquiorum commentarios docent, sed ipsum quoque illorum explicationes in sua ipsius hypomnemata pro arbitrio recepisse ostendunt. Eandem eum in Pindaro explicando posuisse operam egregie Boeckhius conjecit Praef. Schol. Pind. p. XVII: ita eum in Aristophane illustrando se egisse, Schneiderus summo jure censet: de vet. Arist. scholl. f. p. 98. De simillima autem commentariorum, quos in Tragicos scripsit conditione aeque certa res est, modo ad scholl. Soph. Ant. 45; Eurip. Med. 171, 276; Orest. 1369 respicimus. Etiam quae de histrionum peccatis in scholl. Eur. Med. 360, 383 enarrantur, Didymus ex alius cujusdam interpretis commentario comperta habuit: atque ex illius nisi fallor grammatici opere, qui ad Med. v. 171 histrionum temerarias curas reprehendit. — Verum non integros priorum com-

---

196) Quocum cfr. schol. Eur. Androm. 1217, quippe sine dubio eidem debetur auctori.

mentarios transcribere potuit. Nam ut exemplum afferam, quae a scholiasta Oed. Col. v. 237 memoratur nonnullorum versuum ἀθέτησις, eam Didymus non probavit neque adeo ejusdem mentionem fecit. Versuum autem ἀθετήσεις antiquissimis interpretationis temporibus imputandae sunt. Tum, si revera a grammatico priorum commentarios integros descriptos esse putas, quid malum de ipsius pretio judicas atque auctoritate? Ad ingentem fateor scriptorum, quae Didymus edidisse fertur, explendum numerum haud minime aliena opera juvissent. —

Ipse igitur Didymus praeterquam quod aliorum dicta cum posterioris temporis grammaticis communicavit, suo Marte in Tragicos omnes, Aeschylum dico et Sophoclem Euripidemque, commentatus est. E scholiis autem supra allatis eum criticam factitasse scimus. Plerumque tamen ad omnium omnino tragicorum interpretum modum ipsa verba poetarum interpretatus, rarius menda sanabat. Atque usus est, ut per se patet, Lycurgeo fabularum exemplo, omnesque quae praesto fuerint commentationes in judicium vocavit. Saepissime, ut apparet, contrarias partes tenuit: certe novam explicandi de suo protulit rationem. —

Postremo caussas, quibus ipse commotus Didymum novam interpretationis aetatem incipere debere dixerim, brevibus exponam. Didymus primus est, qui scholiastae, quem hodie vocamus, nomen saltem ex parte mereatur. Non enim ex unius tantum sed ex omnium omnino interpretum Tragicorum operibus excerpsit. Priores contra interpretes ut Callistratus Aristophaneus unius tantum unusquisque, atque inprimis nisi egregie fallor praeceptoris commentariis usus est, aut integros eos descripsit. Atque eo insignes opinor scholiastae sunt, quod quotquot usurpabant commentarios, eos pro arbitrio in brevius contraxerunt ne nimis notulis onerarent poetarum fabulas. — Jam vero Didymus justorum commentatorum agmen splendidum claudit, eorum inquam qui ipsum poetam adamabant, qui ipsos Tragicos Tragicamque artem illustrare Tragicamque Musam celebrare studebant. Qua propter Grammaticum ad priorem interpretum numerum pertinere jure dicas: quo ex parte revera

pertinet: dum ex altera parte nova eaque scholiastica interpretandi ratio eum cum posterioribus conjungi jubet. — Profecto, quod ab hoc viro novam incipere aetatem voluerim, non magnae coarguar temeritatis.

Didymus apud omnes posterioris temporis grammaticos gloriam maximam sibi conciliavit summamque auctoritatem. Quod iterum scholia abunde docent. Scholium enim Soph. Oed. Col. 237 — *Οὐδὲν δὲ ἐν τοῖς Διδύμου τούτων ὀβελισθὲν εὕρομεν*, sive a scholiastis, qui proprie sic audiunt, sive ab iis antiquiore grammatico originem ducit, quam gloriosum Grammaticus locum obtinuerit benigne manifestat. Praeterea Didymi nomen prae illis aliorum interpretum mirum quantum frequenter laudatur. Unde illius commentarios et sedulo consuluisse et descripsisse accurate scholiastas patet: unde tamen non sequitur, antiquiorum interpretum hypomnemata tantum per Didymi illa scholiastis innotuisse. Licet enim aliorum interpretum tam rara memoria est, ut ipsorum commentarios scholiastis praesto fuisse negare debeas; attamen ipsa haec penuria, ut Didymi commentarios non unicum scholiorum fontem fuisse contendas, flagitat. — Quode infra plura dicemus pariter ac de sententia virorum doctissimorum, inprimis C. Lachmanni: quoties *ὑπόμνημα* quoddam *κατ᾽ ἐξοχὴν* laudetur, toties Didymi illud esse intelligendum [197]). Item, quid lexicographi grammatico debeant, infra videbimus: quippe e quibus etiam *τραγῳδουμένης λέξεως* opus a Scholiastis usurpatum esse colligere possimus. — Hactenus de Didymo [198]). —

Sequitur haud exiguus interpretum numerus, qui varia ratione in trium Tragicorum fabulas commentati sunt.

---

197) C. Lachmann. in A. Mus. Rhen. I, p. 322.

198) Lubet etiam alia Didymi scripta enumerare, quae ad Tragicos saepenumero respicere videntur: *Περὶ ἀπορουμένης λέξεως*, Harpocr. s. *Δερμιστής*. *Περὶ διεφθορυίας λέξεως* Athen. IX, 368 b. Schol. Arist. Av. 764. — Alios quoque Tragicos interpretatus est, inprimis Jonem, cujus plures hodieque noscimus interpretes ut Aristarchum, Epigenem (Athen. XI, 468 c.) Batonem Sinopensem (Athen. X, 436 f.).

Juba, regum litteratissimus Meinekio dictus, inter alia plurima (Suidas: ἔγραψε πάνυ πολλά) etiam θεατρικὴν ἱστορίαν conscripsit, cujus Photius Bibl. Cod. 161 p. 104b. 35 meminit atque Athenaeus IV, 175 d. e, 177 a. et Schol. Arist. Thesm. 1175. Meinekius Qu. Scen. III, 6 illum quoque qui apud Schol. Dem. de Fals. Leg. p. 253 audit: ὁ τὰς θεατρικὰς ἱστορίας συγγράφων, Jubam esse contendit. Opus Jubae amplissimum Pollux (V, 88) videtur usurpasse. Sopater Sophista in undecimum eclogarum librum illius operis decimum septimum recepit. Περὶ γραφικῆς operis idem Photius meminit p. 103 a. 32. — Quid Tragica ars debeat Jubae scriptis nequit extricari. —

Item ***Nestoris*** quem Meinekius l. l. p. 7 incertae aetatis scriptorem vocat, θεατρικὰ ὑπομνήματα, Athenaeo IX, 403 a. citata, num Tragicos quoque pro sua parte illustraverint, incertum est. Debemusne de poeta epico qui sub Severo rege floruit, cogitare? an potius de Nestore Tarsensi qui Augusti imperatoris vixit temporibus?

Eo certior ***Soteridae*** Epidaurii (Suid. Eudoc.) aetas. Haud exiguam operam poetis Graecis impendit. Inter scripta, e quibus nonnulla tantum attulisse lexicographi videntur, etiam ὑπόμνημα εἰς Εὐριπίδην memoratur. Quod magnopere laetarer, si cujus demum indolis fuisset certius possem enucleare. Nunc vero donec disertis careo argumentis, eum ad modum Didymi priorum interpretum consuluisse opera contendo. Scripsit praeterea περὶ μέτρων [199]).

C. Musonius Rufus [200]) et μουσικὴν et δραματικὴν ἱστορίαν conscripsit. Fabricius Bibl. Gr. II, 320: „Ru-

199) Cfr. Meinekii Qu. Scen. III, p. 6. — Scilicet eorum interpretum, qui praesto poterant esse, hypomn. Soter. consuluerit.

200) Vid. Taciti Histor. III, 81. IV, 10, 40. Annall. XIV, 59. XV, 71. Philostr. Vit. Apollon. IV, 35. Suidam s. Ἑρμογένης, δρᾶμα, ἐπεισόδιον, Κορνοῦτος, Μαρκιανός. Cfr. etiam Reinesium ad Suid. s. v. Μουσώνιος.

fus in musicae historiae libris tribus primoribus Tragicorum et Comicorum tum Dithyrambicorum et Auletarum, Citharoedorumque et Epithalamiorum carminum ac Hymenaeorum et Saltationum Theatricarum historiam persequutus fuerat, et in Dramatica historia recensuerat τραγῳδῶν καὶ κωμῳδῶν πράξεις τε καὶ λόγους καὶ ἐπιτηδεύματα καὶ τοιαῦτα ἔργα. Ex undecimo libro συμμίκτων Aristoxeni et istis Rufi scriptis pleraque hujus argumenti in quartum eclogarum librum esse a Sopatro Sophista relata notat Photius Cod. CLXI."

Epaphroditum Chaeronensem, Callimachi, Homeri, Pindari interpretem etiam in Sophoclem commentatum esse, e corrupto loco Suidae colligo. Suidas enim haec habet: *Κάρτα ἐπαφρόδιτος;* tum: *κάρτα· ἐκ τῶν Σοφοκλέους. Αἴας φησὶν πρὸς τὸ ἴδιον τέκνον* (Aj. 556:) *τὸ μὴ φρονεῖν γάρ κάρτ' ἀνώδυνον κακόν.* Ita versum, a Brunckio, Dindorfio, Lobeckio, ut alios mittam, rejectum antiqui interpretis tueretur auctoritas. Corrigo enim: *Κάρτα· ἐκ τῶν Σοφοκλέους. Καὶ Ἐπαφρόδιτος· Αἴας φησὶν πρὸς τὸ ἴδιον τέκνον.* Versum praeter Suidam Stobaeus et Scholiastae agnoscunt. An potius ex ejusdem Epaphroditi λέξεων opere quod a schol. Arist. Equit. 1146 et Vesp. 333 citatur, sumta illa interpretatio est? Quod si probabile est, putes vel a scholiastis usurpatas fuisse Epaphroditi λέξεις.

Epithersem Nicaeensem, cujus λέξεις κωμικὰς καὶ τραγικὰς Steph. Byz. *Νίκαια* memorat, revera eundem fuisse cum Plutarchi illo aequali (Plut. de oraculorum defectu p. 419) contenderem, nisi eum Erotianus s. *ἄμβων* videretur citavisse. Sed vid. Meinekium Qu. Scen. III. p. 7.

De *Palamede Eleatico*, cujus κωμικὴν καὶ τραγικὴν λέξιν Suidas nominat atque Eudocia, erudite post Boeckhium (Praef. Schol. Pind. p. XIX) Meinekius (Qu. Sc. III, 6) disseruit. Ex Athenaeo (p. 397a) de aetate viri conjecturam facere non licet. —

Vita *Hephaestionis* apud Suidam ex edit. Gaisf. ita legitur: *Ἡφ. Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός. ἔγραψεν ἐγχει-*

ρίδια διὰ μέτρων καὶ μετρικὰ διάφορα. Περὶ τῶν ἐν ποιήμασι ταραχῶν, κωμικῶν ἀπορημάτων, τραγικῶν λύσεων καὶ ἄλλα πλεῖστα, καὶ τῶν μέτρων τοὺς ποδισμούς. At in edit. Hephaestionis, Praef. p. XII ita: ἔγραψεν ἐγχειρίδια περὶ μέτρων, καὶ μετρικὰ διάφορα, περὶ τῶν ἐν π. ταραχῶν, κωμικῶν ἀπορημάτων λύσεις καὶ τῶν μέτρων τοὺς ποδισμοὺς καὶ ἄλλα πλεῖστα. — Quam varia ratione in Tragicos commentatus sit Hephaestion, non constat: quem tamen metricos scripsisse commentarios certum est. Ac Demetrius Triclinius illius doctrinam metricam toto animo amplexus est[201]. — De scholiis autem metricis in Aeschylum jam Fabricius: „Non est horum scholiorum auctor Demetrius Triclinius, quamquam et hunc in Aeschyli τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας scripsisse constat ex ejus scholl. ad Sophocl. Tyr. 21 et Antig. 1020.“ In scholiis metricis in Euripidem saepissime ad Hephaestionis auctoritatem provocatur: ut in Hecub. v. 54, 441, 624, 1002. Item ejusdem nomen in verbis latet: ὡς εἴρηται, quae disquisitionibus metricis praecipue in scholl. Phoenissarum praemittuntur, ut v. 103, 301, 638, 784, 1919, 1284, 1335. Praeterea Hephaestion etiam Λυτικῶν videtur unus fuisse.

Iam *Eugenii* librum Suidas sub hoc memorat titulo: κωλομετρία τῶν μελικῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου ἀπὸ δραμάτων ιε. Num forte hodieque Eugenii scholia metrica legimus? Nam quod singula tantum dramata ejusmodi animadversionibus ornata sint, illud profecto mireris. Atque habemus in quattuordecim fabulas scholia metrica: nimirum in Aeschyli VII adv. Thebas, Persas, Agamemnonem, Eumenides; Euripidis Hecubam, Orestem, Phoenissas. Praeterea Demetrii Triclinii in septem Sophoclis fabulas scholia metrica supersunt. Quid? Nonne Hephaestion in easdem fabulas commentatus est? nonne Eugenius ejusdem copiis usus denuo illas fabulas sibi elegit?

---

201) Gaisfordius l. l. p. XI Codicem affert Monacensem e Bibl. Elector. Bavar. 175, qui Hephaestionem continet cum additamentis Demetrii Triclinii.

nonne tandem Demetrius Eugenii librum usurpavit? ut Eugeniana latere in Triclinianis putes. — Res admodum verisimilis est, non propterea opinor quod ad numerum quindecim fabularum ita proxime accedimus, sed quod delectus fabularum singularum scholiis metricis ornatarum hac demum ratione optime intelligitur. At rationes, quibus commoti interpretes tantum harum fabularum melica carmina illustraverint, amplius enucleare superfluum est. Fortasse Eugenii tempore solummodo ad illas, quibus etiam nunc gaudemus fabulas aditus patebat. Quamquam obstat Stephani Byz. auctoritas s. *Ἀνακτόριον* ed. Westerm. Affert enim ex aliquo Sophoclis dramate versum: *Σοφοκλῆς δέ φησι διὰ τοῦ ι·*

Ἀνακτόριον τῆςδ' ἐπώνυμον χθονός.

Καὶ Εὐγένιος δὲ, ὁ πρὸ ἡμῶν τὰς ἐν τῇ βασιλίδι σχολὰς διακοσμήσας, ἐν συλλογῇ λέξεων διὰ διφθόγγου φησίν. ἔοικε δ' ἀστιγεῖ (Lehrs Aristarch. p. 370: *ἀγενεῖ*) *ἐντετυχηκέναι βιβλίῳ. ἡμεῖς γὰρ διὰ τοῦ ι εὕρομεν.* Nihilominus quot Eugenii aetate superfuerint trium Tragicorum fabulae, incertissimum est, ac dictu longe difficillimum. — Ceterum *συλλογὴ λέξεων,* quam Stephanus memorat, num tantum Sophoclem Tragicosve tractaverit, nescio.

An *Herodianus,* grammaticus summus in Tragicorum unum singularem scripserit commentarium, incertum est; quamquam e schol. Aesch. Eumenid. 184: *λευσμὸν*] *κακῶν ἄθροισιν, ἢ λευκοβολίαν. Ἡρωδιανὸς δὲ τὸ σύστημα καὶ ἄθροισμα:* bene suspicari licet. Verum etiamsi in alio nescio quo libro aptiorem locum illa habuerit glossa, grammaticus interpretis Tragicorum nomen jam propterea mereatur, quod in commentationibus grammaticis saepissime Tragicos illustraverit. Quapropter etiam Scholiastae illius scriptis tam frequenter usi sunt, ad ejusque regulas grammaticas fabulas emendare studuerunt. Cfr. modo, ut unum afferam exemplum, schol. Eur. Rhes. 813. *μαράγνα*] *οὕτως παροξύνει ὁ Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ καθόλου. κτλ.* (vid. Passov. s. v.) — Cfr. Schneiderum l. l. p. 86. —

Cum Heriodiano *Phrynichum* Sophistam nomino[202]),

202) Cfr. Photii Biblioth. cod. 158. p. 100. —

qui tum in magno σοφιστικῆς παρασκευῆς opere tum in alio περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων justi interpretis instar Tragicos illustraverit. Quod luculenter demonstrant duae interpretationes, quae in Bekkeri Anecdotis p. 351 et 373 prostant. Aliis locis Phrynichus de comicis poetis egit. — Quam frequenter ejusmodi scripta scholiastae consuluerint non satis luculenter demonstrare valemus. At suspicari jure possumus, eadem prae ipsis antiquissimorum interpretum commentariis esse a scholiastis usurpata.

Philostratus Lemnius, major natu, περὶ τραγῳδίας libros γ′ scripsit. Ipse tragoedias μγ′ et Comoedias ιδ′ scripsisse a Suida et Eudocia dicitur. Quodsi ipsum poetam fuisse animadvertis facile eum historicam atque inprimis aestheticam commentationem scripsisse dicas. E qua tamen, quae a scholiastis Euripidis afferuntur, non videntur deprompta esse; immo Philostrati alia scripta diligenter pervolvisse scholiastas apparet: eaque qua erant negligentia et ἀκρισίᾳ cum ipsis adeo Tragicorum trium fabulis comparare conati sunt [203]).

Ex *Helladii* Chresthomathia scholiasta Eur. Med. 610 integrum locum nobiscum communicat: addito in fine diserto testimonio: οὕτως Ἑλλάδιος. Quem tamen virum non memorassem nisi ejusdem λεξικὸν κατὰ στοιχεῖον, ὧν ἴσμεν λεξικῶν πολυστιχώτατον [204]) et complexum tres Tragicos esse et a scholiastis saepenumero in judicium vocatum arbitrarer. Fortasse etiam scholium istud lexicon magis quam aliud quid manifestat. — Helladium antiquiorum interpretum copiis nescio qua ratione usum esse constat.

Ejusdem prorsus indolis *Sopatri* Sophistae eclogae fuerunt [205]). Qui ex aliorum operibus, quae sibi conveni-

203) Cfr. Schol. Eurip. Hecub. 903. Orest. 362, 961. Inprimis opera Philostrati poetica scholiastae pervolverunt.

204) Photii Bibl. Cod. 145 p. 98b 40. cfr. ej. cod. 279 et p. 539b 39 ubi de aetate viri loquitur.

205) Cfr. Eunapium in Vit. Aedesii et Valesium ad Sozomeni Histor. Ecclesiast. I, 5. Photium Bibl. Cod. 161.

rent, excerpsit: ita Musonii Rufi opus supra laudatum in quartum quintumque eclogarum librum commigrare jussit. Atque omnino universum aetatis suae ingenium exhibet, cujus erat — loquor de grammaticis — aliorum dicta compilare, non propria pangere verba. —

At eodem, inquies, jure quo Helladium, Sopatrum, alios nominaverim, permultorum mentionem ut faciam oportebit. Quid? Nonne Pollucis Onomasticum, Athenaei, Stobaei, similium scripta, non illustres lexicographos, *Pamphilum*[206]), Aelium Dionysium, Apollonium, Diogenianum, alios innumeros, nonne metricos, musicos, artis poeticae, historiae litterariae auctores prorsus eodem jure debemus enumerare? Fateor quodammodo. Namque inprimis per hanc interpretationis Graecae aetatem lexicorum et glossariorum numerus mirum quantum adauctus est. Attamen fere omnes, ne dicam ad unum omnes ob alienas causas interpretati Tragicos sunt. Certe justum interpretem post Didymum Magnum laudari nescio praeter Soteridam cujus tamen ὑπόμνημα qua tandem indole fuerit etiamnum ambigo. Puto enim idem Didymeo illi ad summum simile fuisse.

Jam vero anteaquam recentissimos trium Tragicorum interpretes et Lexicographos superstites enumero, ut de ipsis scholiastis, qui proprie sic dicuntur, scholiorumque collectionibus pluribus disseram, temporum postulat ratio. Quam quidem disputationem ita instituam, ut primum de ipsis scholiis in tres Tragicos superstitibus eorumque fontibus, auctoribus, variis editionibus exponam; deinde vero quo fortasse certiores de auctoribus singulorum, saltem nonnullorum scholiorum fiamus, ea, quae lexicographi suppeditant comparabo. —

Quo frequentius scholiastae veterum interpretum, veterum omnino scriptorum mentionem faciunt, eo meliora no-

---

206) Pamphilus λέξεις Αἰσχύλου scripsit. cfr. Ranke de lex. Hesych. p. 72 sqq. Welcker in Nov. Mus. Rhen. II p. 428 sq.

bis offerunt scholia. Petrus Victorius autem more editorum qui ea quae tractant inter omnia optima ac praestantissima contendunt esse, scholiis in Aeschylum primas tribuit, secundas Sophocleis illis, sed „quae in VII Euripidis tragoedias declarationes editae sint minores multo inferioresque doctrina esse“ existimat (Praef. ad Aeschyl. a. 1557). Quid juvat de praestantia unius scholiorum collectionis disceptare? Minimo quoque antiqnitatis frusto gaudeo. Nunc vero primas Euripideis, secundas Sophocleis, tertias, inverso Victorii ordine, Aeschyleis tribuo. —

Qui primus unius pluriumve interpretum animadversiones sive commentarios una cum suis ipsius annotationibus ad marginem fabulae cujusdam descripserit, eum primum scholiastam liceat appellare tragicum. Quod tamen quo tempore primum factum sit demonstrare non possumus: nisi a Didymo ad aetatem usque antiquissimorum Codicum interpretationem scholiasticam floruisse dicamus. Antiqui Tragoediarum Graecarum Codices decimum p. Chr. n. saeculum non superant. Prius igitur quam in Codicibus superstitibus descripta scholia fuerint, jamdudum poterant eadem forma et conditione in antiquioribus exemplis perscripta esse: quemadmodum recentiorum Codicum scholia cum priorum illis partim eadem partim simillima sunt [207]. — Iterum tamen, cuinam tempori nostram scholiorum collectionem debeamus, frustra quaerimus. Certe ipsa scholia, ab editoribus semet detruncata et compilata magis quam servata atque amplificata esse docent.

Restant potissimum duae quaestiones eaeque longe difficillimae: prima: quot fabulas trium Tragicorum illustraverint vel potuerint illustrare primi scholiastae: secunda: quot tandem commentarios justorum interpretum iidem scholiastae usurpaverint? Primum fabulas non una cum commentariis periisse certum est. Itaque fabulae commentariis poterant casu privari, ita commentarii superesse poterant

207) Cfr. Schuberti: Einige Bemerkungen über das Griech. Scholienwesen in Zimmermanni diurn. a. 1834 n. 140, p. 1124.

ipsis in quas scripti erant deperditis fabulis. Sed quot demum fabulae, quot demum commentarii temporis injuria, quot naturae hominumque vi, quot tandem, propterea quod suspecta fuerint neglectaque, scripta perierint, illud ne divinando quidem valemus apte pervestigare. Nihilominus posteaquam de singulis ad singulos Tragicos scholiorum collectionibus disputavero, nonnullas sententias ac cogitationes ea de re proferre conabor.

Ne tot fabularum jacturam dolere deberemus, nisi jam antiquissimis temporibus alias prae omnibus lectitatas ornatasque commentariis esse accipere nos oporteret, jam supra mihi monere licuit. Immo e superstitibus fabulis has tam multis codicibus descriptas esse tamque locupletibus commentariis gaudere reperimus, ut quod hodieque salvae sunt profecto non miremur: illas contra in tam paucis quantum scimus Codd. exstare tamque miseris oneratas esse animadversionibus constat, ut, quod etiam nunc supersunt, felicissimo magis casui quam hominum diligentiae imputare debeamus. — Si codices Aeschyli conspicimus, certum ordinem et librarios et scholiastas sequutos esse primo obtutu reperiemus. Quem casu primum, deinde consuetudine denique ut fieri solet facta lege constitutum esse arbitror. Neque enim temporum ratio habita est, neque ita opinor nec scholiastae nec librarii praestantiam cujusdam fabulae celebrare voluerunt. Alioquin Supplices ante Orestiam ponenda erat, Prometheus post Persas. Atque e Prometheae trilogia jam pridem unam Prometheum vinctum superfuisse eamque prae reliquis interpretibus placuisse apparet: et, quamquam fragmenta Pr. Soluti fabulam a permultis lectam fuisse ostendunt, neque trilogiae sive tetralogiae scientia neque ejusdem servandae studium post Didymi tempora viguit: ita ut Orestiam fere integram casu felicissimo, non cura librariorum sive scholiastarum servatam esse mihi sit persuasissimum. Namque ipsa quoque in Orestiam scholia, licet cum illis in tres priores Aeschyli fabulas Prometheum, Septem ad Th., Persas certare non queant, unam fabulam lectitatam, reliquas neglectas esse demonstrant. Ita Codices quoque plurimi Eumenides con-

tinent, admodum pauci Agamemnonem et Choephoros. Unde quam mature trilogiae forma saltem a scholiastis neglecta sit, facillime colligas. — Omnium igitur fabularum una Prometheus et saepissime descripta et plurimis scholiis ornata est, ut e Codicibus discimus. Fabulam proxime sequuntur Septem adversus Thebas et Persae: utraque, quibus Pr. caret, scholiis metricis praedita est. Sequitur Orestia, infimum locum Supplices tenet. Eundem ferme ordinem, ex quo tempore septem Aeschyli fabulae superfuerint, continuo servatum esse diserta tradunt testimonia, ut Arg. Eur. Phoeniss.: *ἐπιγέγραπται δὲ ἀπό τοῦ χοροῦ Εὐριπίδου Φοίνισσαι πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. ταύτῃ γὰρ τῇ ὑποθέσει κἀκεῖνος χρῆται ἐν τῷ δευτέρῳ*, et Schol. Eur. Orest. 210: *Πέλανος σημαίνει δύο, τὸν σίελὸν ὡς ἐνταῦθα, καὶ εἶδος θύματος ἤτοι τὸν πλακοῦντα ὡς Αἰσχύλος ἐν τρίτῳ φησίν:* quod aperte respicit ad Persarum v. 519, ubi vid. schol. — Nec meliora testimonia requirere debemus. Quo tandem ordine ante Didymum vel ab ipso Didymo illustratae fabulae fuerint plane nescitur nisi ad illos numeros, quos ubi de Aristophane Grammatico loquutus sum, memoravi respicere velimus. Etiam vetustissima fabularum exempla, Atticum inquam atque Alexandrinum, fortasse etiam Pergamenum earum ordinem eundem exhibebant. At quid loquor de certo ac distincto tot fabularum ordine, quas totidem libellis descriptas esse verisimilius est? quarum uno volumine quot demum comprehensae fuerint nescimus? — Quodsi scholia quam inaequabilia sint animadvertimus, potissimum malam scholiastarum industriam debemus notare, curamque primo accuratam, tum nescio quo casu extemplo remissam. — Jam vero eodem tempore quo reliquae scholiorum collectiones factae sunt, etiam in Aeschylum scholiastas collegisse sive potius transcripsisse commentarios per se patet. Nihilominus scholia Aeschylea, quod veterum interpretum mentionem non faciunt, eo maxime a reliquis in reliquos Tragicos differunt. Quae quidem nomina sive librarii ea sive scholiastae sustulerunt, a primis scholiastis omissa non fuisse vehementer contendo. Quid juvat enu-

merare locos, quibus omisso nomine simpliciter *οἱ δέ*, vel *τινές*, vel *ἔνιοι* dictum est. — Si quidem scholiastas male sedulos fuisse negari nequit, quis scholia Pers. 637, Sept. Th. 953, al., in quibus *πολλὰ* aut *παλαιὰ βιβλία* memorantur, quis iisdem viris tribuat? — De variis lectionibus, quae quidem in scholiis memorantur, supra dixi. Plerumque magnam antiquitatem manifestant. — Butlerus in editione sua scholiorum copiam in partes quasdam atque ordines divisit: ac primo ordini ea tribuit scholia, quae prae reliquis et ampliore disputatione verba interpretantur et saltem ex parte ab antiquis commentatoribus videantur profecta esse. Secundi autem ordinis scholia, littera *B* signata, saepenumero eandem sententiam, eadem fere verba perpaucis mutatis referunt: plerumque tamen glossae sunt. Tertia pars glossas continet. — Quam quidem scholiorum distributionem Schuetzius recepit: eaque ad quinque tragoedias quae melioribus gaudent scholiis pertinet: reliquae (Choephori, Supplices) eadem carent. Etiam in editione Victorii scholia haec minora (Ch. Suppl.) ad marginem glossematum instar adscripta sunt, neque ut reliqua commentarii instar textui subjuncta. — Scholia, quae aliorum poetarum versus comparant, procul dubio vetustissima sunt: proxima, sive etiam antiquiora, ea quae res mythologicas dilucidant. Recentissima scholia metrica, *παραφράσεις*, glossemata. Scholia sive glossae metricae maxime eo ab Euripideis et Triclinianis distant, quod criticam artem non promulgant, quod ut verbo dicam Tricliniano illo: *οὕτως διωρθώθη παρ' ἡμῶν, παρ' ἐμοῦ* carent. Nihilominus ea, nisi Cod. Laur. A. Triclinii aetatem longe superaret, vel a Triclinio profecta esse dicerem. — De Triclinii Codice infra dicam. — Scholia Aeschyli, ut nunc se habent, a multis librariis varia ratione decerpta et detruncata, a scholiastis in brevius contracta esse, sat certa docent argumenta. Interpretum antiquiorum nomina perierunt: immo ne Didymi quidem mentio facta est: ita ut de fontibus scholiorum difficillimum sit disputare. Nihilominus omnigenae interpretationis specimina legimus: *Λυτικὸν* agnoscas in Schol. Sept. Th. 957. Criticum in schol. Pers. 637, alibi. —

Multo magis scholiis Sophocleis gaudere possumus: in quibus et veterum interpretum et veterum commentariorum saepius fiat mentio. Codices fabulas superstites a librariis scholiastisve (plerumque librarii etiam scholiastae sunt) certo ordine descriptas esse docent. Iterum non temporum ratio habita est: neque praestantiam fabularum librarii celebrarunt. In Cod. autem Laur. A. hoc ordine extant fabulae: Ajacem sequuntur Electra, Oedipus Tyr., Antigona, Trachiniae, Philoctetes, Oedipus Coloneus. — Certe priores tragoediae ordinem constanter servant: posteriorum ordo mutabilis est [208]. — Jam e codicum conspectu tres priores tragoedias Ajacem, Electram, Oedipum Tyrannum, inprimis duas priores Ajacem atque Electram omnium maxime lectitatas fuisse colligimus. Utriusque hujus sive trium harum scholia etiam a lexicographis prae reliquis usurpata sunt. Nihilosecius eas scholiorum copia excellere non dicas. — Scholia contra in Sophoclem eo quod lectores fabularum pretium atque eximiam pulchritudinem docere student insignia sunt. Ita scholiastae Ajacis, Electrae, Oed. Tyr. continuo poetae virtutes admirantur. Rarius scholiasta Oed. Colonei, rarissime ille Trachiniarum et Antigonae, nusquam [209] quantum scio Philoctetae scholiasta pulchritudinem fabulae verbis effert. — Licet Tragicorum interpretes potissimum huic interpretationis rationi indulgere debuerint, attamen scholia Sophoclea eadem egregie ante reliqua excellunt. Ac plerumque in verba interpretis aesthetici jurare possumus: ut omnino graecas tra-

---

208) Schol. Eur. Or. 23. *οὗτος ὁ ποιητὴς γ' λέγει θυγατέρας γεννηθῆναι τῷ Ἀγαμέμνονι. ὁ δὲ Σοφοκλῆς ἐν τῷ β' δράματι (ἐν τῇ Ἠλέκτρᾳ) τέσσαρας μετὰ τῆς Ἰφιανάσσης.* Vid. Soph. El. v. 157. Fateor, omnia haec scholia ab uno codice Guelferbytano suppeditari, ita ut satis recenti tempore scripta possint esse, sed reliqui codices eundem fabularum ordinem continuo servant. — Cfr. G. Dindorf. Praef. ad Annot. Sophocl. (1836) p. XV. sqq.

209) Schol. enim Phil. 233—234 cum illis in Ajacem, Electram, Oed. Tyr. nequit comparari.

gaudia vel a Graeculis melius intellectas intimoque animo perceptas esse, quam a nostratium sagacissimis fieri possit, arbitror. Sed hanc ipsam scholiorum partem a recentissimis fabularum judicibus neglectam supra modum esse reperio. Quamquam si quid aliud haec demum judicia aesthetica e fontibus perquam vetustis manaverunt.

Jam, quod scholia Aeschylea ut nunc se habent, paene vetant[210]), de fontibus scholiorum Sophocleorum aliquid certius possumus extricare. Quamquam de veteribus scholiorum fontibus quominus distinctius loquamur, ipsa rei natura atque indoles scholiastarum prohibent. Scholiasta enim, quantum egomet talis viri — vereor ne grammaticum appellem — universam indolem assequor, scholiasta unusquisque tantum unius viri, sive interpres fuit antiquus sive proxime antecedens scholiasta, commentarium qui quidem priorum commentariorum poterat collectio esse, usurpavit, tantum unum — ita ut plura non conferret neque inter se compararet — fabularum exemplum ante oculos habuit. Quae si cui minus placeat sententia, ecce is Didymum re vera primum scholiastam fuisse concedere coactus est. Namque Didymus omnium primus antiquiorum interpretum tantum non omnes, vel ad unum omnes commentarios aut in corpus quoddam collegit aut e singulis quibusque commentariis proprio Marte excerpsit. Jam vero alius scholiasta alium commentarium, saltem aliud fabularum exemplum usurpavit: ita ut commentarii scholiastarum adaucti paullatim, licet principio fortasse ad eundem fontem redundaverint, nihilominus plures fontes manifestare viderentur. — Quodsi scholia in Sophoclem animadvertimus, qualia primo illi, quaeremus, qui proprie dicatur scholiasta Sophoclis, subsidia interpretationis praesto fuerint? — Car. Lachmannus V. S. Didymum pro scholiastarum praecipuo videtur fonte habuisse: quippe schol.

---

210) Etymologus M. qui s. προσέληνοι citat ὑπόμνημα Προμηθέως δεσμῶν praeter ipsa scholia nequit alium commentarium usurpavisse.

Soph. Oed. Col. 388, quod his finitur verbis: ἐβουλόμην δὲ αὐτοὺς μαρτυρίῳ χρήσασθαι ἢ συγγραφέως ἢ ποιητοῦ: ad illum grammaticum refert. Bergkius autem in censura Ajacis Lobeckianae [211]) scholiastas plerumque tantum e Didymi commentariis interpretationes excerpsisse paulo distinctius contendit; scholiaque in quibus memorantur οἱ ὑπομνηματισταὶ sive οἱ ὑπομνηματισάμενοι, ὑπομνήματα eidem Grammatico adscribit omnia. — Quorum quidem scholiorum partem examinemus. —

Primum, quamquam Didymum re vera justos commentarios scripsisse certissimum est, ejus tamen ὑπόμνημα a scholiastis non memoratur. Quod nisi infelici casu factum esset, grammatici scripta vel a primoribus scholiastis usurpata non esse demonstrare posset. At profecto nihil demonstrat. Immo schol. Antig. 45: Δίδυμος δέ φησιν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι: vel antiquiorum interpretum commentarios tantum per Didymi editionem scholiastis innotuisse satis diserte dicit. Quo tandem sensu dictum sit: ὑπομνηματισταί haud ita facile explicandum. Neque ego omnes omnino Sophoclis interpretes intelligendos esse arbitror: quippe qui aeque minus ac nostri philologi de hujusmodi rebus inter se consensisse videntur. Quare ne iidem quidem grammatici, quoties vocantur οἱ ὑπομνηματισάμενοι (Oed. Col. 388, 390, 681.) sive οἱ ἐξηγησάμενοι (Oed. Col. 900, 947) continuo laudantur. Neque tandem Didymum antiquiorum interpretum nomina consulto praetermisisse puto. Si quid peccatum in ea re est, id scholiastis imputes. — Nunc egomet τοὺς ὑπομνηματισαμένους ante Didymum ad unum omnes vixisse confidenter contendo. Atque ipsi scholiastae semet priorum grammaticorum dicta aliunde sumsisse profitentur: nimirum e Didymi commentariis. —

Quae quidem modo recte disputavero Didymum prae-

---

211) C. Lachmann. l. l. Bergk. in A. L. Z. a. 1836 n. 68 p. 539. Affert scholl. Oed. Col. 388, 390, 681, 947. El. 488: etiam plura Lachmannus.

cipuum scholiastarum fontem fuisse demonstrabunt. Bergkius autem illud quoque ὑπόμνημα, quod κατ' ἐξοχὴν sic dicitur, Didymi fuisse censet. Ac saepius omisso nomine citatur τὸ ὑπόμνημα: a schol. Ant. 523, 1326. Electr. 451, 488 (bis). Quae demum scholia, quominus ad Didymum referam omnia, videtur prohibere schol. El. 488: ἥξει καὶ πολύπους] ἡ Ἐρινὺς, ἡ ἐκείνῳ τῷ φόνῳ ἀκολουθήσασα· οὕτως ἐν τῷ ὑπομνήματι. Ἄλλως: Τὸ πολύπους ἐν ὑπερβολῇ ἔθηκεν· ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι κεῖται πολύπαις: ἐπεὶ γάρ, φησίν, ἐν τῷ Ὀρέστῃ τὴν πᾶσαν ἐλπίδα ἔχουσι, τὸ πολύπαις ἐν ὑπερβολῇ ἔθηκεν, ἡ πολλὰ κακὰ τίκτουσα. — Prius pro secundo ἐν τῷ ὑπομν. reponere ἔν τινι ὑπομν. cogitabam. At melius, quoniam Bergkii sententiae summopere assentior de Didymi hypomnemate cogito quippe a quo alius interpretis ὑπόμνημα laudatum sit. Quamquam utrum Didymi re vera fuerit, h. l. nescio nisi quod primum dicitur οὕτως ἐν τῷ ὑπ., ad eum referre malis. — Jam vero τὸ ὑπόμνημα etiam alia ratione dictum esse accipias. Namque ad modum scholii in Ant. 45, ubi Didymus τοῖς ὑπομνηματισταῖς ipso verbo opponitur, τό ὑπόμνημα videtur antiquioris interpretis esse idque a Didymo tantum citatum. Quodsi ita re vera se habet, aut ubique ἐν τινὶ ὑπ. scripsisse Didymum aut uniuscujusque interpretis nomen eum apposuisse apparet. Nam quid de hac re statuam profecto ubi schol. Ant. 45 considero ambigo. Namque si Didymus interpretum nomina praetermiserit, cur quaeso Pii mentionem fecit? Ut taceam de Praxiphane, cujus interpretationi inter reliquas praestantiori auctoris nomen subjungere perquam aptum fuerit. Nonne eorum quoque nomina qui sexcentis locis [212]) simpliciter audiunt: οἱ δὲ, τινὲς, ἔνιοι scholiastae potius omiserunt quam Didymus ille? Ac si scholia, quibus ὑπομνήματα memorantur ad Didymum re-

---

212) Nonnulla afferam, ut scholl. Ajac. 899. Electr. 182, 539, 551, 686, 858. Ant. 454, 611, 798, 970, 1303. Oed. Colon. 1578. Trach. 94, 172; etc.

ferimus, ad eundem grammaticum etiam sexcenta illa loca referre cogimur. —

Igitur ex iis, quae hucusque disputavimus, sive scholiastas Didymi commentarios *τὸ ὑπόμνημα* vocaverunt, sive quod mihi quidem melius videtur esse, *τὸ ὑπόμνημα* antiquioris interpretis a Didymo usurpati significat commentarium, Didymum tamen praestantissimum scholiorum nostrorum fontem fuisse elucet. — Unde tandem aliorum scriptorum, poetarum opera cognita habuerint iidem scholiastae, nisi e Didymi commentariis? Quapropter maximam ac praestantissimam scholiorum partem Didymo adscribo. — Altera vero quaestio, quot et quales antiquiorum interpretum commentarios praeter Didymi illos usurpaverint aut potuerint usurpare scholiastae? ea inquam quaestio, postquam de Euripideis scholiis disputavero, brevibus tractabitur. —

At, quamquam ut nunc se habent scholia, alias fabulas lectitatas, alias neglectas paululum ab interpretibus esse ostendunt: tamen a primoribus interpretibus videntur fabulae satis aequabiliter explicatae fuisse. An etiam illud, quod voces *ὀκνεῖν* et *ὄκνος* fere constanter per *φόβος* et *φοβεῖσθαι* explicantur (schol. El. 320. Oed. Tyr. 976. Oed. Col. 152, 731. Philoct. 864, 225. Trachin. 181, aliis fateor locis aliter), sive quod de *α* intensivo constans sententia est (Trachin. 106 *ἀδακρύτων - πολυδακρύτων*, v. 843. Ajac. 788, 1210. Phil. 842: ubique negatio duplex est), sive quod singulae fabulae inter se comparantur ut Electra cum Antigona, Ajax cum aliis fabulis [213]), an haec omnia ipsis scholiastis tribuere mavis? An potius haec quoque Didymi sunt? Quam multae praeterea interpretationes Didymo etiamnum debeantur, Hesychii lexicon infra ostendet.

---

213) Adscribo propterea scholium, quod a *Λυτικῷ* profectum est: ad Ajac. 784. *Ὦ δαΐα Τέκμησσα*] *Τίνος ἕνεκεν οὐκ ἐποίησεν ἐξιοῦσαν τὴν Τέκμησσαν, ἵνα μετὰ τοῦ Χοροῦ ἀκούσῃ τὰ περὶ τοῦ Αἴαντος, ὡς ἐν τοῖς ἄλλοις δράμασιν, ἔν τε Ἠλέκτρᾳ καὶ Οἰδίποδι ἅμα τῷ χορῷ τὰς τῶν γυναικῶν προόδους ποιεῖ, ἵνα μὴ δισσολογῶσιν οἱ ἄγγελοι;* κτλ. sequitur explicatio.

De Euripidis denique fabulis prorsus idem judicium est. Hodie ad novem fabulas majores commentarios legimus. Reliquae fabulae ad hunc usque diem iis quantum scio carent. E codicum autem conspectu (apud Beckium Tom. III, p. IX sq.) primo obtutu Hecubam aliquando prae omnibus fuisse lectitatam explicatamque colligas. Fere omnes, quos novimus Codices Hecubam continent: tum cum ea exarata saepissime Orestes: frequenter Phoenissae, denique illae quoque fabulae quae hodieque commentariis gaudent. Rarissime contra exaratae fabulae sunt, ad quas fere nulli exstant commentarii. Una autem Hecuba videtur saepius, quam reliquae omnes fabulae, exarata esse. — Etiam Euripideorum dramatum series antiqua consuetudine constituta est. Sed difficillime eam restituas, quum ne unus quidem quantum scio codex superstites fabulas ad unam omnes contineat. Cod. 2 Plut. XXXII Bibl. Laurentianae, omissa Troadibus, 18 continet, inverso quodammodo sueto ordine: Supplices, Pentheum (sive Bacchas: in fine mutilam, desinit v. 754), Cyclopem, Heraclidas, Herculem fur., Helenam, Rhesum, Ionem, Iphigeniam Tauric., Iphig. Aulidensem, Phaedram (sive Hippolytum), Medeam, Alcestim, Andromacham, Electram, Hecubam, Orestem (quae in Cod. Electra dicitur), Phoenissas [214]. — Codex Heidelbergensis n. 287 XIV tragg. continet. Eas tamen fabulas, quae hodieque commentariis ornatae sunt, in ordine fabularum primos locos jam antiquitus tenuisse apparet. Neque iterum temporis, quo actae essent fabulae, neque ipsius praestantiae ratio habita est [215]. — Ordinem fabularum priorum, quem hodieque servare debeamus,

214) Accedunt Argum. ad X. tragg. Cfr. Elmsleji Praef. ad Bacchas p. IV sqq. ed. Lips.

215) Cfr. Schol. Eur. Hec. 1258: Narrata Agamemnonis nece, additur: *ὡς ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ δευτέρου δράματος ἱστόρηται:* vid. Orest. v. 25 ibique schol. — Schol. Or. 1457: *ὁ γὰρ ποιητὴς οὗτος τὴν εἰς πρόθεσιν ἐν τῷ τρίτῳ δράματι ἀντὶ τοῦ εἴσω λαμβάνων φησί· τόνδ᾽ εἰσεδέξω τειχέων.* Gu. man. secund. Vid. Phoen. v. 451.

praescribit Cod. Paris. 2713; de quo Beckius: „Cod. membranac. saec. XII, exhibens: Hecubam, Orest., Phoen., Hippolyt., Med., Alcest., Andromacham. Inter lineas glossae, ad marginem scholia. Praemittuntur excerpta ex Hephaestionis enchiridio, vita Euripidis et Tragoediarum argumenta, Tzetzae et Chortasmeni de ejus Hecuba versus politici. Ad finem Medeae enotatur eam descriptam esse e bonis exemplaribus a Dionysio et Didymo emendatis. Catal. p. 543. Contulit et hunc Cod. Musgravius, apud quem est Cod. B." Num verisimile est, Didymi editionem, modo ediderit fabulas, ad manum librario decimi tertii p. Chr. n. saeculi fuisse? An Dionysii Thracis, modo illius grammatici ὑπόμνημα re vera intelligitur, Didymo etiam antiquioris editionem usurpare unquam librarius potuerit? An potius ad Didymi nomen in scholiis passim commemoratum librarius respexit? Utut haec se habent, Victorium praecipue hunc codicem consuluisse nullus dubito: fortasse aliorum ut Jani Lascaris industria fretum, quippe qui τὰ εἰς ἑπτὰ τραγῳδίας τοῦ Εὐριπίδου σποράδην εὑρισκόμενα σχόλια collegisset. Excerpta ex Hephaestionis enchiridio etiam Arsenius recepit, cujus editionem pedetentim expressisse Hervagium non est quod moneam. Ac fonte dissimulato reliqua quoque scholia metrica complexus est. Nunc si constaret codicem illum haec omnia continuisse, de Hephaestione atque Eugenio ut praecipuis fontibus cogitare facile esset. — Ceterum loquuturis nobis de fontibus scholiorum in Euripidem maximi ea, quae (ed. Matth.) ad Orest. v. 1686 leguntur, aestimanda sunt: Πρὸς διάφορα ἀντίγραφα παραγέγραπται ἐκ τοῦ Διονύσου (marg. γρ. Διονυσίου) ὑπομνήματος ὁλοσχερῶς καὶ τῶν μικτῶν [216]). — Quod quidem additamentum plures exhibent Codices, inter quos Cod. Guelferb. a manu secund., ut Matthiaeus notat, qui haec de eodem loco profert: „Ultima a vv. πρὸς διάφορα κτλ. in Gu. a praecedentibus sejuncta sunt et quod in initiis novorum scholiorum fieri solet, litera π.

216) Perperam Beckius verba edidit.

minio picta.“ Ita ille, qui haec verba nescio unde adscripsit, ad scholia in Phoenissas ea pertinere procul dubio arbitratus est. At omisso quoque, quod scholia in Homerum similibus gaudent subscriptionibus, ubi ipsorum scholiorum virtutem animadvertimus, ea opinor in Orestem subscriptione illa digniora sunt. Sed quis Dionysius ille? Si fides Boekio habenda est, jam de grammatico qui circa Didymi aetatem floruerit suspicari licet. Et qui in scholiis in Orestem grammatici laudantur, ut Aristophanes, Callistratus, Asclepiades, Sosibius fortasse etiam Apollodorus Cyrenaeus, Dionysio Thrace antiquiores sunt. Qui vero? Si Didymi commentarium scholiastas *τὰ μικτά* appellasse conjicias. — Praeter Dionysium autem Thracem, qui commentarium in Euripidem scripserit, scio neminem nisi Aelium Dionysium lexicographum, cujus opera Grammatici innumeris locis laudaverunt (vid. Suid. *Διονύσιος Ἁλικαρνασσεύς*). — An Dionys. Thracis *ὑπομνήματα* scholiastae re vera potuerint usurpare? Illud statim videbimus. — Ceterum si primos interpretes non in unam tantum alteramve fabulam commentatos esse, sed in illas, quae ad manum fuerint omnes, jure accipere debemus, profecto quod e. g. Callistratus in una Oreste, Hephaestion tantum in una Hecuba memorantur, non miremur. At, quod in scholiis Sophocleis facilius poterat extricari, de communi quodam vel praecipuo scholiorum fonte certo dejudicare non possumus. Licet enim scholia in Euripidem propterea quod veterum interpretum haud raram faciunt mentionem, maximi habenda sunt, verumtamen ipsi Graecorum poetarum recentiores judices prorsus non idem videntur sensisse. Scholia in Sopheclem a plerisque lexicographis usurpata sunt; contra illa in Euripidem paene neglecta. —

Superest, ut scholiorum superstitum corpus iterum alia ratione habita contemplemur, ut frusta veterum ac genuinorum commentariorum, quae in iis passim lateant, Lexicographorum ope inveniamus. Atque e lexicographorum numero primum ***Hesychium*** exhibeam: de quo ubi doctam Rankii commentationem nec non Welckeri senten-

tius[217]) relego, nullum aliud ferre possum judicium nisi esse glossographos Tragicos misere excerptos et detruncatos. — Iam ex Hesychii ad Eulogium praefatione: *Πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν παλαιῶν τὰς κατὰ στοιχεῖον συντεθείκασι λέξεις — ἀλλ' οἱ μὲν τὰς Ὁμηρικὰς μόνας — οἱ δὲ τὰς κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς τραγικὰς, ὡς Θέων καὶ Δίδυμος καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι· ὁμοῦ δὲ πάσας τούτων οὐδὲ εἷς. Διογενειανὸς δέ τις μετὰ τούτους γεγονὼς — ὁμοῦ πάσας καθ' ἕκαστον στοιχεῖον συντέθεικε. κτλ.* lexicographum a secunda manu accepisse aliorum curas discimus. Qui in praefatione *λέξεις τραγικάς* composuisse dicitur non potest non Didymus esse. Verum eorumne quorum nomina praetermissa ab Hesychio sunt, Diogenianus opera usurpaverit? Praeter Didymum citantur Callistratus s. *Ἰλλυρὶς γονή*: Aristarchus s. *Λυκοκτόνου θεοῦ*: Didymus ipse s. *Λάπτερσαι*. Reliquae *λέξεις* quibus Didymi nomen appositum est ad Comicos pertinent. Tum, qaae auctoris nomine carent *λέξεις* facile in tres partes distribuas. Prima pars explicationum cum scholiis nostris fere ad verbum consentit: altera pars excerpta continet, siquidem cum scholiis superstitibus comparatur. Tertia denique explicationes reperimus, quae in nostris scholiis non exstant. E prima parte affero tantum v. *ἀντήρεις* — Soph. El. 89. v. *Ἀελλάδων* — schol. Oed. Tyr. 467. v. *Αἰτναία* — Oed. Col. 313 (eadem Zonaras et Suidas. Reisigius ridiculam et ineptissimam vocat explicationem) v. *Ἀπότροπος* — Oed. Tyr. 1313 v. *Αἰόλα νύξ* — Trachin. 94. — Multo saepius tantum particula scholii descripta est. Quod varia ratione potuit factum esse. Namque lexicographus tantum ex uno interpretationum variarum corpore sua deprompsit, aut plurium interpretum curas in usum suum convertit. Scimus etiam Pamphilum scripsisse *λέξεις Αἰσχύλου*, quae ab Hesychio vel a proxime antecedentibus lexicographis usurpatae sunt. Ac licet Didymum horum omnium praecipuum dicas fontem fuisse: tamen quemque de suo nonnulla addidisse aut

217) Welcker. in Nov. Mus. Rhen. II, p. 369 sqq. et p. 410 sqq.

praetermisisse per se patet. Lexicographi autem omnes quantum colligo ea fuerunt sedulitate, qua pleraque vel leviter vel minime perpensa reciperent omitterentve. Certe illud in Hesychium videtur cadere, unde non mirum quam perversae explicationes hic illic occurrant. Ut exemplum addam satis luculentum, scholiasta ad Trach. v. 780 (ubi Laur. A. exhibet ἀνευφώνησεν) explicat: κατὰ τὸ ἐναντίον, ἀντὶ τοῦ ἐστέναξεν. Hesychius vero s. ἀνευφημήσει habet ἀνοιμώξει καὶ ἀντίφρασιν. Utramque glossam ex eodem fonte manasse sed perperam nescio a quo intellectam apertum est. Ne longus sim neve dudum dicta retractem, Hermannum laudo ad h. v. atque Ellendtium s. v. Ἀνευφημέω, hunc Bothio bene refragantem. Ex parte igitur cum scholiis nostris concinunt explicationes, quas Hesychius affert s. vv. Ἄφρακτος (Ajac. 910: eadem Suidas et Phavorinus habent) Ἐξαλύξωμεν (Aj. 656. aliter Suidas s. ἐχθρῶν ἄδωρα et εἰμὶ) s. κατηναρισμένα (Aj. 26 Suid. s. λείας et κατηναρ. Schol. Ven. Hom. Il. φ. 26); s. ἰήους καμάτους (Oed. Tyr. 173, ubi Hesychium sua ex Orione depromsisse monet Ellendtius s. v. Ἰήϊος: quam diversa ratione eadem interpretatio descripta est, docet etiam Suidas s. Ἰηΐων. cfr. Etymol. M. 463, 19, Eustathium 1020, 23); s. ῥαψῳδός (Oed. Tyr. 391. Suid. s. ῥαψῳδία nostrum scholium transcripsit: v. Phot. p. 489. 19) s. ἀμφιπλὴξ (Oed. Tyr. 417. Suid.); s. βαιὸν (Oed. Tyr. 750? cfr. Ellendt. s. βαιὸς); Οἰάτιδος ἐκ νομοῦ (Oed. Col. 1064. Eustath. 1165, 46); s. Ἀείρομαι (Trach. 216) s. Ἀμφινεικῆ (Trach. 104); Ἀντίπρωρα (Trach. 213); Ἄμπυκες (Phil. 674. Etym. Magn. 86, 20. Eustath. 556, 33 et 1280, 51. schol. Hesiod. Theogon. 916); Ἄροτος (Trachin. 826); etc. — Tertium nonnullas memorabo explicationes, quae in nostris scholiis non reperiuntur: quaeque ad augendam scholiorum farraginem aptissimae sunt: s. v. ἁμαρτεῖν (Phil. 231); ἐπηγγελλόμην (El. 1006), ubi Hesychius lectionem multis probatam exhibuit; Ἀπλάκητον (Oed. Tyr. 472 cfr. Ellendt. s. ἀναμπλάκητος); Ἄρῃ (Aj. 191); Αἶμα (El. 1394); Ἀμήτωρ (El. 1143). Scholia fateor minoris momenti omnia sunt; attamen antiquum interpretem produnt. He-

sychius autem et qui eum proxime antecedunt lexicographi si forte eosdem quos scholiastae Sophoclis fontes usurpaverint, attamen proprio Marte ex illis sua sumserunt. Certe illud, aut scholiastas ab Hesychio aut Hesychium a scholiastis usurpatos esse luculenter demonstrare nunquam poteris. —

Ex Euripidis fabulis superstitibus Hesychius undecim affert: Alcest., Andromach., Hecub., Hippolyt., Orest., Med., Troad., Supplic., Jon., Iphig. Taur., Iphig. Aulidensem. — Atque, quem supra constitui, ordini secundo annumero explicationem vv. κάσις (Hecub. 358); ἀνασειράζει (Hippol. 236); ἀεὶ (Med. 665); αἰσυμνᾷ (Med. 19); ἀποστέλλεις (Med. 284); ἀφύλλου στόματος (Orest. 373); Αἰθέρα (Troad. 1057, 1079); ἄκανος (Troad. 117). Reliqua quibus praefixum poetae nomen est, eodem jure ad augenda scholia nostra debemus arcessere. —

Aeschyli denique λέξεις mirum quantum ab Hesychio neglectae sunt. At idem vituperium in omnes fere lexicographos cadit. Quamquam enim Zonaras s. κόρση eandem exhibet glossam, quam scholiasta Aesch. Choeph. 279, facere tamen non possis quin aut consulto interpretes aut ipsum poetam neglectum supra modum esse arbitreris.

Nunc Hesychii sive Diogeniani et Pamphili praestantissimum fontem Didymum fuisse scimus: ac τραγῳδούμεναι λέξεις, ut luculenter apparet, a Diogeniano usurpatae sunt. Jam vero supra scholiastas Sophoclis triumve Tragicorum tantum commentarios Didymi usurpasse contendi. Nonne tamen explicatio vocis αἰθέρα (Troad. 1057) aperte e Τραγῳδουμένων λέξεων opere sumta est? nonne quae Hesychius affert, etiam in scholiis nostris saltem ex parte reperimus? Nonne ergo utrumque grammatici opus scholiastas usurpavisse multo est verisimilius? Sane concederem nisi commentariis Didymi omnes lexici sive glossarii vices explevisse persuasum haberem. Ac multa, quae in Τραγ. λέξεων opere exstiterint, jam in commentariis dicta explicataque esse etiamnunc nullus dubito. Quo tamen profecto nihil aliud demonstrare conor, nisi scholiastis, quantum colligere possum tantum alterum Didymi opus

praesto fuisse: nec si quis a lexicographis utrumque Grammatici opus usurpatum esse contendet, magnopere refragabor, ubi Hesychium s. *Πλυφὶς γονή* et *Αυκαστόνου θεοῦ* cogito. Quas quidem interpretationes lexicographorum vel glossographorum nescio quis e Didymi commentariis probabiliter depromiserit. —

Si verum est, neque Hesychium neque qui eum proxime antecedunt sequunturve lexicographos scholiis nostris usos esse, attamen ea Hesychio aliisque recentiora esse non sequitur. — Recentiores autem lexicographi: Photius, Zonaras, Etymologus, Suidas, Phavorinus aut e scholiis nostris sua sumserunt, aut recentior quisque antiquiore usus est. Ceteroquin lexicographi quod ex iis scholia nostra non uno loco augeri possint debeantque, magni nobis momenti sunt. Verum quominus quae huc pertineant undique accuratius colligam, ipsa disputationis natura prohibet. Sed si bene res mihi evenerit, lexicographos ita tractaturus sum singulari commentatione, unde accuratiorem scholiorum historiam componere possim.

Jam praetermissis Oro atque Orione: quippe admodum pauca nobis suppeditant: ad Photium et Zonaram me converto. — Quibus tandem fontibus, scilicet quod ad interpretationes vocum Tragicarum attinet, *Photius* usus sit, incertum est. Eumque veteres interpretes adiisse nec probabile nec verisimile est. Neque omnino e satis puris fontibus hausit. Affero pro multis tantum pauca exempla. Photius s. v. *σεμνὸν* (p. 506) haec: *ἐπὶ τοῦ ἀξιωματικοῦ λέγουσιν, ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ὑπερηφάνου τιθέασι, Εὐριπίδης Μειδίᾳ (Μηδείᾳ)· οἶδα γὰρ πολλοὺς κτλ.* (v. 219). *καὶ ἐν Ἱππολύτῳ· μισεῖν τὸ σεμνὸν* (v. 92). *καὶ τὸ ἔνδοξον Εὐριπίδης· πῶς οὖν σὺ σεμνὴν* (v. 99). *καὶ τὸ μέγα.* — Schol. Eur. Med. l. l. *καὶ νῦν τὸ σεμνὸν ἀντὶ τοῦ ὑπερήφανον ὡς καὶ ἐν Ἱππολύτῳ* (v. 92). Ibi autem *τὸ σεμνὸν* primum per *τὸ σοβαρὸν* (Cod. Flor. 15), tum per *τὸ ἀλαζονικὸν* (Flor. 2), aliud *σεμνὸν* (v. 93) per *ὑπερήφανον* explicatur. Denique Photii *ἔνδοξον* cum scholiastae *τίμιον* (v. 102) et *τιμίαν καὶ σεπτὴν* (v. 98) quodammodo con-

einit. — Tum Photius s. *μασχαλίσματα· Ἀριστοφάνης παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Ἠλέκτρᾳ κεῖσθαι τὴν λέξιν, ἔθος σημαίνουσαν.* Profecto ineptissimum excerpentis specimen. Scholia pluribus exponunt consuetudinem, qua Graeci in vindicta sumenda usi sint, quaeque *ἀπὸ τοῦ φορεῖν εἰς τὰς μασχάλας τὰ ἄκρα*, *μασχαλίσαι* fuerit appellata (ad El. 487). Sed ea quae facundus scholiasta e longinquo arcessivit, ad ipsa Sophoclis verba non pertinere, Photius non videtur intellexisse (cfr. Ellendt. s. *μασχαλίσαι*). Bona fide Photium Suidas descripsit.

Accedimus ad ***Zonaram***, de quo cfr. inprimis Tittmannum in Praef. p. XLVII, ubi de fontibus Zonarae disputat: et quae p. LIII, LIV, LIX sq., LXIV de affinitate Zonarae aliorumque lexicographorum exhibuit. Zonaras saltem scholiis in Sophoclem usus est: sexcentis locis cum scholiastis concinit. Ac videtur scholia accuratius quam Suidas fecit inspexisse, qui vel omisso *τῷ Ἄλλως* diversas explicationes consarcinavit. Uterque praestantissimus fons e quo et augeantur scholia nostra et emendentur. Tum uterque eo quod inusitatiorum verborum interpretationes sibi elegit insignis est. Uterque veterum interpretum nomina vel scholiastis commemorata pro arbitrio omisit (cfr. s. *Ἀλίπαλτος*). Uberior tamen ***Suidas***; paene integra scholia descripsit, nimirum ea, quae tunc in Sophoclem exstabant. Nam quos ex Aeschyli fabulis citat versus, additis nonnunquam explicationibus, eos aliunde sumsit. At etiam hae interpretationes nostris scholiis addendae sunt. Pleraque in prioribus lexicographis non reperies, excepta una alterave voce ut *λεωργός* (Prometh. 5), quae tamen diversissima ratione explicata est. — Contra ex Euripideis scholiis Suidas nonnulla, quae etiam apud Photium reperies, praebet. Cfr. vv. *σεμνόν*, *νῦν δή*, *πέλανος* (quae eadem vox in plerisque lexicographis exstat: cfr. Harpocration. et Etymol. Magn.; Suidas Didymum laudat). — Alia ex Hesychio sumsit: ut interpretationem vv. *Ἄνω ποταμῶν χωροῦσι πηγαί*; alia aliunde, neque tamen ex ipsis scholiis,

alioquin iis melius fuisset usus. An consulto ea prae Sophocleis neglexerit? Non puto. Namque ut nunc se habent, praestantiora sunt, praesertim quod ad notitiam universae antiquitatis antiquorumque attinet interpretum. Compara schol. Med. 414 cum Suida s. Ἄνω ποταμῶν, ut quam diversi Suidae fontes a scholiastis Euripidis fuerint, melius dignoscas. — Ille enim scholia suo arbitrio non permutavit, qui scholia in Sophoclem partim integra transcripsit, partim misere, ut sensu careant, decerpta aut consarcinata. — Equidem Suidam omnia, quae forte ante oculos habuit, crassa Minerva in corpus suum omnigenae eruditionis recepisse arbitror. Remotiora quaeque plerumque neglexerit; fontes satis recentes sunt. — Si aliquid, consulto interpretum veterum nomina omisit (Cfr. s. v. Δίπαλτος Aj. 408, Νηφάλιος Oed. Col. 100). Sed quid mirum? quum idem s. ἄραρέ με integra scholiastarum verba describens, diversas explicationes copulet. — Quaeritur tandem, num Suidas praeter scholia in Sophoclem etiam Didymi usus sit operibus? Memorat Grammaticum s. ἀλύειν (El. 135), s. ἐξένισεν (El. 96), ubi nostra scholia ejusdem nomen tacent. — Attamen Didymi multo saepius facit mentionem, ubi oratorum Graecorum scripta tractantur. Quae quidem omnia quum ex alio lexicographo, non ex ipsis Didymi operibus sumserit, ut etiam Sophoclea haec ex alieno fonte hausisse eum arbitreris, diserte persuadent. An, quod Didymi nomen scholiis tam raro apposuit, eum praeter scholia nostra etiam Τραγῳδ. λέξεις illius usurpasse verisimilius est? Unde longe maximam scholiorum partem Didymi esse sequeretur. — Utram praeferas sententiam licet ambigere debeas, attamen quam plurima scholia etiamnum Didymi Chalcenteri esse facile concedas. —

Ne vero hujus disputationis, quae proprie de justis Tragicorum Graecorum interpretibus agit, finibus nimis excedam, praetermitto reliquos lexicographos, qui, quantum colligere potui, non tam ex antiquis interpretibus quam potius e prioribus lexicographis sua sumserint. Omitto

Tzetzam utrumque[217]), Thomam Mag., alios, fontes, ut mihi videtur, turbidos limososque: statimque ad *Demetrium Triclinium* me converto; qui, qualemcunque interpretandi rationem exhibuit, attamen proprio Marte Tragicos Graecos illustravit.

Atque Aeschyli quinque fabulas edidit, ut Paschalis Baffius apud Fabricium (V p. 776 Harl.) refert. Descripsit enim Codicem olim Farnesianum tum Regium Neapolitanum: „33: Aeschyli *Προμηθεὺς δεσμώτης, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Πέρσαι, Ἀγαμέμνων, Εὐμενίδες* cum glossis interlinearibus et scholiis marginalibus antiquis Thomae Magistri et Demetrii Triclinii. Quum scholiis Triclinii fere perpetuo praefigatur *ἡμέτερα* et initio *Δημητρίου τοῦ Τρικλινίου*, codex hic bombycinus aut *αὐτόγραφος* est, aut ex *αὐτογράφῳ* descriptus; certe saeculi est XIV ad finem vergentis, quo tempore Triclinius floruit.“ Ut omnino Britanniae philologi aequius de Triclinio judicant, ita Elmslejus quoque in Mus. Crit. Cantabrig. VII, p. 457 sq. „Licet Aeschylum non nisi e recensione Triclinii nobis exhibeat, immerito tamen neglectus est a Victorio, qui tam in Agamemnone quam in aliis fabulis multas lectiones vulgatis meliores ex eo proferre potuisset.“ — Scholiorum autem specimina quae nobiscum communicavit Elmslejus, in nostris scholiis non reperies; unde quo jure Fabricius nostra scholia dixerit non esse Demetrii colligas. — Demetrius illas fabulas illustravit, quae etiamnum scholiis metricis gaudent (cfr. quae supra de Eugenio dixi). Attamen Cod. Laur. A. qui Triclinii aetatem longe superare dicitur, quominus conjecturis locum concedamus prohibet.

Sophoclea autem scholia ita tractavit, ut pro arbitrio antiqua scholia aut afferret aut negligeret. Immo antiquissimos interpretes, quorum nomina plerumque omisit, brevibus refutat: ut ad Oed. Col. 900 Praxiphanem: *ῥυτῆρας γὰρ τοὺς χαλινούς φησιν, οὐ τὰ ὑποδήματα, ὡς τὰ σχόλια*

---

217) Cfr. Crameri Anecd. Gr. III p. 334 sqq. O. Mueller. in Nov. Mus. Rhen. V, 333 sqq.

λέγει. Ita ad Aj. 408 pro Pii Didymique illa suam ipsius profert explicationem. Plerumque Didymi auctoritatem videtur consulto neglexisse: ejusque ad Ant. 4, 45, 722 non facit mentionem. In scholiis metricis Hephaestionis, quem ad Aj. 134, 172, 201, 221. Oed. Tyr. 151. Antig. 100. Trach. 947 laudat, et ut videtur Eugenii auctoritatem colit; ubi sive cantici cujusdam sive singulorum quoque versuum dat explicationem. Plurima vero loca, quibus Demetrius ad ea, quae alibi ab sese dicta sint, respici jubet, ad eundem opinor Hephaestionem pertinent: cujus doctrina metrica, in editione Turnebiana scholiis praemissa, etiam a Triclinio autographo praeposita est. — Quid tandem in Euripide illustrando praestiterit, certe Codices tacent. Sed vid. supra, quae de scholiis metricis dixi.

Postremo quaestionibus supra propositis: quot Tragicorum fabulas scholiastae pervolverint, quot iidem interpretum commentarios usurpaverint? quantum fieri possit responsurus sum. — Ubi de scholiastis loquimur, aetatem, quae a Didymo inceperit atque ab antiquioribus lexicographis finiatur, cogitare nos oportet. Photium enim et qui eum sequuntur lexicographos neque plura quam quot hodieque legimus dramata, neque plures commentarios cognovisse constat. — Didymum autem omnes Tragicorum fabulas omnesque interpretum commentarios pervolvisse per se patet. Jam fabularum plura exempla scimus descripta fuisse. Verumenimvero plura ejusdem commentarii exempla descripta esse neque diserta tradunt testimonia neque omnino verisimile est. Grammaticorum autem scripta in magna bibliotheca procul dubio deposita exstabant. Ergo si verum est, bibliothecam Alexandrinam magno incendio exustam esse[218]): una cum Attico exemplo fabularum etiam interpretum commentarii perierunt. Didymus autem nisi ante illud tempus Romam se contulerit, eoque scripta sua deportaverit omnia, certe eis, quia in vivis erat, bibliothecam nondum donavit. Quapropter summus ille gram-

---

218) Cfr. Parthey: Alexandr. Mus. p. 31 sqq. Klippel: Al. Mus. p. 186 sqq.

maticus praecipuus erat fons atque auctor, immo unicus ut videtur fons, e quo posterioris temporis interpretes antiquiorum commentarios tantum non integros cognitos habere possent. Quapropter etiam de recentiori quodam Dionysio videtur cogitandum esse, e quo scholia in Orestem descripta sint. — Verumtamen de fabularum jactura certam conjecturam nobis facere nullo pacto licet. Photii, Zonarae, Suidae temporibus tantum nostrae fabulae salvae erant.